

49.
2

ASSENTATIONES IN DISSERTATIONE JURIS ECCLESIASTICI

DE EO,

QUOD CIRCA DECIMAS NOVALES IN
GERMANIA, AC PRÆCIPUE IN DIOECESI, ET
TERRITORIO COLONIENSI JUSTUM EST:

QUAM

SUB PRÆSIDIO

PHILIPPI HEDDERICH

MIN. CONV. PRESBYTERI, SS. THEOL. DOCTORIS, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS, ET ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS
CONSILIARII ECCLESIASTICI ACTUALIS, CONSILII ELECTORALIS
ACADEMICI ASSESSORIS, SS. CANONUM IN ELECTORALI ACADEMIA MAXIMILIANEA BONNENSI PROFESSORIS P. ET O.
ATQUE INCLYTI COLLEGII JURIDICI ASSESSORIS.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

CHRISTIANUS FRANC. WEIDENFELT

EX NEUKIRCHEN, PATRIÆ COLONIENSIS JURIUM AUDITOR EMERITUS

AUTHOR ET DEFENDENS

ANNO MDCCCLXXXII. DIE XII. SEPTEMBRIS

SUBMISIT, CONTENTÆ, AC DETECTÆ

A

FULGENTIO DE VERITA.

SPECIMEN PRIMUM.

VERCELLIS

MDCCCLXXXIII.



Difficile est satyram non scribere. Nam quis iniqua
Tam patiens Urbis, tam ferreus, ut teneat se,
Caussidici nova cum veniat lectica Mathonis
Plena ipso.

JUVENALIS Satyr. I. v. 30.

INTRODUCTIO.

Haud ita pridem celeberrimus AUGUSTINUS DE LEYSER (a) Assentatorum classem conscripsit, atque in eam retulit Jureconsultos 1.) Qui Fisco, bonisque, ut vocantur, dominialibus nimio studio atque fervore patrocinantur, 2.) Qui vel nullam, vel tamen non aliam, quam immemorialem contra Principes præscriptionem admittunt, 3.) Qui omnia illa jura, quæ cives hucusque quietè exercuerunt, adimere iis, Principique vindicare audent, 4.) Qui controversias inter Principem & cives intercedentes non ex æquali jure dijudicant, sed sententiam pro Principe, tametsi justam causam non habeat, ferunt, vel aliquid illi contra Leges, & ordinem Processus indulgent, 5.) Qui cessiones jurium, & actionum à privatis in Principem & Fiscum factas approbant, & defendunt, 6.) Qui in consilium à Principibus adhibiti ea suadent, quæ non iustitiae & saluti Republicæ, sed ambitioni, avaritiæ, libidini, cæterisque affectibus Principis convenient. 7.) Qui in consilium à Principe adhibiti, ipsi quidem perniciosa non suadent, Principi tamen iniquum quid vel suâ sponte, vel ex aliorum suggestione suscepturno, contradicere non audent, 8.) Qui stylum suum & peritiam Principi ad improba ejus facta laudanda & excusanda commodant, qui legibus inquis præfationes præfigunt, atque bella injustè à Principe suscipienda corrasis undique rationibus, defendunt. 9.) Qui ut potestatem Principis extollant, jura Ordinum seu Statuum provincialium deprimunt, 10.) Qui Principibus gratificaturi, incestas illis nuptias, polygamias &c. permittunt, & Leges divinas, quæ obstatre videntur, commodâ interpretatione detorquent, vel potius elidunt. 11.) Qui jus Principum circa sacra nimis liberaliter extendunt. 12.) Qui Principibus potestatem contra Leges etiam divinas dispensandi concedunt, 13.) Qui Principi potestatem promissiones suas sepe jure jurando confirmatas, & privilegia revocandi indulgent. 14.) Qui jus pro luctu occupandi bona civium, atque in usum suum convertendi Principi tribuunt. 15.) Qui Majestatem immediatè à Deo esse dicunt, atque populi eligentis consensum pro causa aliquâ Majestatis haberri debere negant. 16.) Qui civibus tam absolutam jussibus Principum

A 2

obtem-

(a) in Meditationibus de Assentationibus Jureconsultorum Cap. III. Sect. II. §. 1. & seqq.

obtemperandi necessitatem imponunt, ut illos injusta quoque mandata exsequi
debere dicant. 17.) Qui Principi in litibus, quas cives vel inter se invicem,
vel cum ipso Principe habent, liberam decernendi & quidquid lubet, faciendi
potestatem tribuant, ac tandem 18.) pernicioſiſſimum eorum genus, qui,
ut Principi, sub quo vivunt, vel à quo dignitates aut opes sperant, gratifi-
centur, omne ius publicum pervertunt, atque ad amplificandas istius Prin-
cipis terras, prærogativas & prætensiones summa impudentia detorquent, &
omnem antiquorum monumentorum atque historiarum fidem, cui potissima
Iuris publici germanici pars innititur, variis commentis, fabulis & inter-
pretationibus corrumpunt. Neque etiam veritus est vir maximus quosdam
palam nominare, & speciatim quidem Joannem Palatium (b), Masium
Theologum Hafniensem (c), Demosthenem (d), Ciceronem (e), Mar-
tialem (f), Vellejum Paterculum (g), Winclerum Electoris Palat-
ini quondam Archiatrum (h), Aristippum (i), Tiraquellum (k), At-
tejum Capitonem (l), Domitium Afrum (m), Martinum Cremo-
nensem (n), Frisium (o), Grotium (p), Gabrielem (q), Marti-
num Jureconsultum veterem (r) & Hobbesium (s). Quocirca nec milii
vitio vertendum arbitror, ubi à studio partium remotus, atque immoxia li-
bertate usus, solius veritatis gratia detexero, denudavero, distinxero Affen-
tationes, quēis seu verus Pater, seu Nutritius Dissertationis de eo, quod
circa Decimas novales in Germaniā, ac præcipue in Dicēsi, &
territorio Coloniensi justum est, laudem, honorem, gloriam, famam,
commendationem, patrocinium, bencvolentiam, gratiam, & nescio, quae re-
liqua aucupari paravit. Saltem dum magnum Patrem, videlicet LEYSE-
RUM, licet non passibus aequis sequor, confiſcationem, aliudve fulmen nec
timeo, nec euro, aequè ut ille, persuasus, exſtituros aliquando, qui recte me
vicias Affentiones coercuisse, aperte confiteantur.

Dabam è Muſeo Kalendis Decemb. MDCCCLXXXII.

ANTI

- (b) cit. Tract. Cap. I. §. 8.
(c) cit. §. 8.
(d) cit. Cap. I. §. 10.
(e) cit. Cap. I. §. 11.
(f) cit. Cap. I. §. 15.
(g) cit. Cap. I. §. 17.
(h) cit. Cap. I. §. 19.
(i) cit. Cap. I. §. 20.
(k) cit. Tract. Cap. II. §. 2.

- (l) cit. Tract. Cap. III. Sect. I. §. 7.
(m) cit. Sect. I. §. 8.
(n) cit. Sect. I. §. 11.
(o) cit. Cap. III. Sect. II. §. 2.
(p) cit. Sect. II. §. 34.
(q) cit. Sect. II. §. 35.
(r) cit. Sect. II. §. 36.
(s) cit. Sect. II. §. 38.



ANTITHESIS I.

Ipsa jamrum dedicatio intonat: Patere Eminentissime, ac Celsissime Archiprinceps,
Forsanne cum FLACCO (a) cantare lubet Dissertatori.

Odi profanum vulgus, & arceo,
Fayete linguis. Carmina non prius
Audita, Musarum Sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Quidem Aurea Bulla, ad quam sive concinnè, sive inconcinniter provoco,
ut saltem obscuram Juris publici ecclesiastici ideam habere, Bullamque possi-
dere videar, Principes Electores appellat Palmites imperiales, & Membræ
propinquiora, septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis, (b)
columnas proceres sacrum ædificium circumspœcte prudentiæ solerti pictate sù-
stentantes, (c) solidas bases Imperii, & columnas immobiles, (d) partem cor-
poris Imperatoris, (e) ipsius Imperii columnas & latera (f). Similiter SIGIS-
MUNDI Imperatoris Aurea Bulla de successione Comitis Palatini Rheni &c. (g)
eos vocat sacri decus Imperii, & illustres ipsius Principes Electores, per quos
capit, & in quibus consistit nostræ gloriæ celstudo, qui & in partem sollici-
tudinis nobiscum sunt vocati, quos generis nobilitas, multipliciaque virtutum
insignia, & præclara fidei devotione laudabilius recommendant. Ait ubi repe-
rite est illud verbum: Archiprinceps? Me hærcle! non nisi in Assentationibus
seu

(a) Carmin. Lib. III. Od. 1.

(f) Tit. XXX. §. 1.

(b) Proæm.

(g) Apud FREHERUM in Comment.

(c) Tit. III. §. 1.

de testamentariâ tutelâ, curâque Electro-

(d) Tit. XII. §. 1.

rali, nec non in Representatione Rei-

(e) Tit. XXIV. princi-

publ. Germanica p. m. 556.

seu Canonistarum, seu Jureconsultorum. Eodem etiam modo facile fabricari poterit Archipontifex, Archiimperator, Archirex, Archielector, Archicoadjutor, Archilandgravius, Archimarchgravius, Archimarchio, Archictomes, Archibaro, Archieques. Aedipol si quis malus genius mihi artem assentandi incantasset, nova institutione formatu auderem dicere: Archipræses, Archiminorita, Archidoctor, Archiprofessor, Archiauditor, Archiautor, Archidefendens &c. Procul hinc, procul esse camœna.

ANTITHESIS II.

Dum dedicatio pergit: *Cum aliis jam pridem eruditioribus Germaniae Jureconsultis non quodam assentationis, aut novitatis studio, sed solo veritatis amore, jurisque diffamiae impulsus, num non solum aliis, sed & sibi met ipsi mirum quantum assenteret? Judicent Eruditiores, qui jam dudum norunt, ex isto fonte non nisi turbidam, neotericam, atque illuminata, si superis placer, tempora sapientem aquulam nasci. Ego conclusionem in fine formabo.*

ANTITHESIS III.

Ab omni novitatis studio remotus, sed solo veritatis amore impulsus Autor (h) fundamenta locare parat orsus. „Si fateri licet, quod res est, allegoricæ „hujusmodi Ss. Patrum inter T. V. & Legem novam institutæ comparationes, „depromptaque ex Legibus Mosaicis argumenta priam dederunt occasioneum „pervulgatae illi sententiæ (potius dixerò persuasionei erroneæ) quod præcep „tum de solutione decimarum à Deo Israëlitis impositum, populum quoque „Christianum obligaret. „ Siccine vero? An ORIGINES (i) allegoricè loquitur: *Quomodo ergo abundat iustitia nostra plus quam Scribarum & Phariseorum, si illi de fructibus terra sua gustare non audent, priusquam primitias Sacerdotibus offerant, & Levitis decime separantur: Et ego nihil horum faciens, fructibus terra ita abutur, ut Sacerdos nesciat, Levites ignoret, divinum Altare non sentiat. &c. An divus HIERONYMUS (k) allegoricè loquitur: Quod de decimis, primitiisque diximus, quia olim dabantur à populo Sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite: quibus preceptum est, non solum decimas dare & primicias, sed & vendere omnia quae habent,* &

(h) Cap. I. Secl. I. §. 1. pag. 3. lit. d.

(i) in Numeror. Cap. XVIII. Homil. XI. sive Oper. omn. Tom. I. pag. 232. Edit. Basiliens. MDXLV.

(k) in Comment. in Mielach. Cap. III. sive Oper. omn. Tom. V. pag. 285. Edit. Parisiens. MDCXLIII.

& dare pauperibus, & sequi Dominum Salvatorem. Quod si facere nolumus, saltem Iudeorum imitemur exordia, ut pauperibus partem denuo ex toto, & sacerdotibus ac Leuitis honorem debitum deferamus. Unde dicit & Apostolus: Honora viuas, quae vere viue sunt, & Presbyterum duplici honore honorandum, maxime qui laborat in verbo & doctrina Dei. Quod qui non fecerit, Deum fraudare & suppluantare convincitur, & maledictus est in penuria rerum omnium, ut qui parcer severis, parcer & metat, & qui in benedictione seminaverit, in benedictionibus fructus colligat abundanter. An divus CHRYSOSTOMUS (^l) allegoricè loquitur: Quid enim non fecerunt hunc in re Iudei? Decimas ac rursus decimas orphanis, viuallis ac proselytis contribuerunt. Nunc vero admirando quempiam dicere solemus, decimas ille & iste dat. Quantà quoque turpitudine scaet, si quod apud Judeos nullius erat admirationis aut celebritatis, apud Christianos jam sit unde quis beat admirari? Si tunc periculum erat decimas negligere, perpende quantū nunc istud facerit? An CASSIANUS (^m) discipulus divi CHRYSOSTOMI allegoricè loquitur: Delector quidem, o filii carissimi, pia vestrorum munera largitate; & devotionem hujus oblationis, cuius dispensatio mihi credita est, gratianter amplector, quia fideliter primitias vestras ac decimas indigentium usibus profuturas velut sacrificium Domino bona suavitatis offertis. Harum feliciter oblatione, plenitudinem quoque fructuum universaque substantiae vestre, ex qua hæc Domino delibastis, ubertim benedicenda credentes, vosque secundum mandati illius fidem multiplici ubertate bonorum omnium etiam in hoc seculo cumulandos. Honora Deum de tuis iustis laboribus, & deliba ei de fructibus iustitia tua, ut impleantur borrea tua abuudantia tritii, vino autem corcularia tua redundent. Quam devotionem fideliter execentes, scitote vos Legis antiqua iustitiam consummasse, sub qua tunc positi, & transgredientes eam reatum inevitabiliter incurrebant, & implentes ad perfectionis apicem pervenire non poterant. An tandem divus AUGUSTINUS (ⁿ) allegoricè loquitur: Majores nostri ideo copiis omnibus abundant, quia Deo decimas dabant, & Casari censum reddebat? Modo autem quia discessit devotio Dñi, accessit inductio Fisci. Notius partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit Fiscus, quod non accipit Christus. Inde tamen evincere nolo, decimas etiam quoad quantitatem, sive determinationem, aut strictè decimam

par-

(^l) in Comment. in Epist. Pauli ad Ephes. Homil. IV. sive Oper. Tom. IV. pag. 884.
Edit. Parisien. MDLVI.

(^m) Collat. XXI. Cap. 2. sive Oper. pag. 555. curante GAZAEO.

(ⁿ) Homil. XLVIII. sive Oper. omn. Tom. X. pag. 180. Edit. Colon. MDCXVI.
Si Hippomensis Episcopus hocce illuminato tempore ita scripsisset, reverer profecto, ne pœnam confiscationis, immo & depositionis incurseret.

LEADER

partem ex Jure divino deberi, sed potius iis (o) ad stipulor, qui decimas quo-
ad substantiam, sive præstationem alimentorum sacris Ministris Jure naturali
debitam, atque hinc præceptum de decimis solvendis in Lege Mosaicâ sub hocce
respectu morale, & à CHRISTO minimè abrogatum tenent. Evidem de-
narius numerus teste SPENCERO (p) antiquitus præ cæteris insignis honora-
tus, & mysticus, & numerorum finis simul, atque exordium perfectissimum
habebatur; quippe cum numeri simplices in decade finiantur, & à decade ad
unitatem (est enim decas unitatui maxima) revertantur, atque inde iterum
ordiantur, adeò ut numerus ille summi DEI, qui principium & finis est om-
nium, imaginem gerere videtur, ac proinde decimis DEO datis honorem
ei singularem tribui, cum rerum omnium principium & finem agnosci, sancti-
tique divine testimonium exhiberi crederetur. Verum num ideo numeram
istum à Domino nostro JESU CHRISTO vel retentum, vel præscriptum di-
cemos, ab ipsâ sacrâ Scripturâ (q) edocti, sub exordium novi Testamenti; &
post paullo extraordinariam sustentandi rationem ex omnium rerum communio-
ne, decinarum defectum supplente, exticisse, ac fideles non tantum Ecclesiæ
Ministrorum, sed etiam egenitum fratrium necessitatibus tum ex divenditis bo-
nis propriis, ita inspirante DEO, qui in supremâ urbis clade à TITO VESPA-
SIANO inferenda, Judæorum bona Romanorum Fisco addici, inde tamen nil
damni ad Christianos accedere volebat; tum ex largis elemosynis, quæ à de-
putatis Ministris colligebantur, succurrisse.

ANTITHESIS IV.

Verba Legis (r) habent: *Non oportet, Episcopos aut Clericos cogere, quosquam ad
fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare,
aut*

(o) Inter alios RUPPRECHT in Not. hist. in univ. Jus Canon. Lib. III. Tit. XXX.
§. 1. num. 2. & STRAUS in Dissertat. de Decimis §. VI. Apud D. SCHMIDT
Thesaur. Jur. Ecclesiast. Tom. VII. pag. 452.

(p) de L. L. Hebreorum Ritual. Lib. III. Dissertat. I. Cap. X. Sect. 1. pag. 97. & 98.

(q) Sic enim Actoꝝ. Apost. IV. v. 34. & 35. refertur: Nequæ enim quisquam egens
erat inter illos. Quotquot enim possessores agorū, aut domorū erant, ven-
dentes afferebant pretia eorum qua vendebant, & ponebant ante pedes Apostolo-
rum; Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

(r) L. 39. §. 1. Cod. de Episc. & Cleric. Hæc Lex cum aliis in pluribus editio-
nibus desideratur, longeque alius Legum ordo reperitur, prout ex
MORNACII Observationibꝫ, & BARBOSÆ Collectaneis in L. 39. Cod.

18/8/8/8/8/8/
aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare: quamvis
Iesus ita obtinuerit. Quis queso cum Dissertatore (s) inde elicier, in Ecclesiâ
orientali jam seculo VI. Episcopos sub pena excommunicationis ad decimarum
solutionem coegerit laicos? Ergone Episcopi, & Clerici laicos ad decimam par-
tem strictè solvendam cogebant? Ergone laicis non minorem, quam decimam
fructuum partem offerre licebat? An vel vestigium de hoc in Lege?

ANTITHESIS V.

Aurea Imperatoris ISAACI COMMENI Bulla (t) continet: „Statuit vero
„imperatoria mea Majestas, ut etiam in ordinatione Sacerdotum & Ca-
„nonico vetus forma autoritatem obtineat, & nihil in ordinatione Episcopus,
„qui ordinat, amplius accipiat, quam praestantioris monetæ imperatoriae meæ
„Majestatis septem aureos nummos duntaxat: unum videlicet, quando facit
„simplicem (u) Papam, sive Lectorem: tres, quando ordinat Diaconum: al-

„teros

(s) cit. Seft. I. §. 2.

(t) Constitut. Imperat. pag. 691. Edit. SIMONIS VAN LEEUWEN Coloniae Münsteriana MDCCCLVI. contra versio FREHERI *Juris Graeco-Romanorum* Tom. I. pag. 121. habet: „Majestas mea sancit, ut tam in ordinatione Sacerdotum, quam in Canonico antiqua sanctio vigorem ob-
„tineat, neve quid amplius in ordinatione capiat Episcopus, qui Sa-
„cerdorem ordinat, prater septem nummos aureos praestantioris mo-
„netæ Majestatis meæ. Videlicet unum, quando cum simplicem Pa-
„pam sive Lectorem facit, tres, quando Diaconum ordinat, & alios
„tres, quando Sacerdotem sive Presbyterum perficit. Similiter no-
„mine Canonici, à vico, habente triginta fumaria, similis numerus
„aureus unus exigatur, argentei duo, aries unus, hordei modii sex,
„vini mensuræ sex, farina modii sex, triginta gallinæ. Ab eo vero,
„qui fumaria viginti habet, bes aurei, pro duobus argenteis argen-
„teus unus, agnus dimidiatus, hordei modii quatuor, vini mensuræ
„quatuor, farinæ modii quatuor, gallinæ viginti. A vico denique
„decem habente fumaria, quinque argentei, agnus unus, hordei mo-
„dii duo, vini mensuræ due, farinæ modii duo, gallinæ decem:
„que mandatum & in veterum exactorum sigillis hæc prescripta sunt,
„& Majestati meæ consentiens omnium depositio provincialium pro-
„bavit.”

(u) Papa simplex dicitur inferioris ordinis Clericus, videlicet Lector, Ostia-
rius, Acolytus. LEEUWEN cit. pag. 961. num. 6.

teros tres, quando Sacerdotem, sive Presbyterum perficit. Sic similiter pro
 Canonico à vico (x) triginta infumibula (y) habente, similem aureum
 unum, argenteos duos, arietem unum, ordei modios sex, vini mensuras
 sex, farinæ modios sex, gallinas triginta: à vico vero, qui viginti infumi-
 bula habet, autrei helleb., pro duobus argenteis argenteum, agnum dimi-
 diatum; ordei modios quatuor, vini mensuras quatuor, & gallinas viginti;
 à vico denique, qui decem infumibula habet, argenteos quinque, agnellum
 unum, ordei modios duos, vini mensuras duas, farinæ modios duos, &
 gallinas decim: quemadmodum in veterum Actuariorum sigillis præscripta
 sunt. Atque provincialium conveniens ordinatio Imperatoris meæ Majestati
 placuit. Num ideo cum Dissertatore (z) dicendum: Illud tributum vices
 decimatum supplevisse? Dic fodes! Nomine Canonici ecquid venit? Annon
 præstatio ordinaria? Sic enim legimus (a): Omnes omnino quocunque titulo possi-
 dentes, quod delegatio superindicti nomine videtur amplexa, velut canones cogantur inferre:
 ut ne qua sit dubietas, hanc aperte definitione decernimus, ut id potius canonis vocabulo
 postuleretur. Nulla igitur domus vel sacri patrimonii, vel emphyteutici juris, vel bonorum
 privatorum, etiam si privilegium aliquod habere doceatur, ab hanc necessitate sejuncta sit:
 quis jam non extraordinarium, ut hactenus, sed ipsis facientibus canonicum nomen accepit.
 Sic quoque legimus (b): Solùmque canonice indictionis præstant tributum, glebalis
 auri solutionem nesciat labore dignitas conquista, extraordinarum munus ignoret, nec ul-
 lam remoniti patiatur injuriam, equorum tironumque prestationem nucus agnoscat, qui
 honorem proximi & conitiram primi dispositionum longi temporis sudore quaesivit. Sic
 tan-

(x) S. ISIDORUS HISPALENSIS. Origin. Lib. XV. Cap. 2. refert: Vicus dicitur
 à vicinis tantum habitatoribus, vel quod vias habeat tantum sine muris. Est
 autem sine munitione murorum licet & vici dicantur ipsæ habitationes urbis. Dicitus
 autem vicus: eo quod sit vice civitatis, vel quod vias habeat tantum sine muris.
 Vicorum alii sunt urbani, alii pagani, seu rustici. Urbani vici dicantur
 à via, ex cuius utraque parte ædificia sunt in urbe. Sic CICERO
 pro Milone ait: Nullum in urbe vicum, nullum angportum esse dicebant, in
 quo Miloni non esset conducta domus. Vici pagani sunt ex pluribus villis,
 domib[us]que rusticis coagmentati spatio aliquantulo ab urbe remoti,
 nullisque mænibus cincti. VALLA de Lingua Latin. Elegant. Lib. IV. Cap.
 20. atque de his vicis intelligenda venit Bulla aurea.

(y) Græcè Καπνοδόχη vel Καπνοδόχος. Italice camino, Gallicè cheminé, Ger-
 manicè Rauchfang, Schornstein.

(z) cit. §. 2. lit. a.

(a) L. 1. Cod. de Indiction.

(b) L. 14. Cod. Theod. de proximit. Comitibus Et.

tandem legimus (c): *Ab extraordinariis omnibus fundi patrimoniales atque emphyteuticarii per Italiam nostram constituti habeantur immunes, ut canonica tantum & consueta dependant, ad similitudinem per Africam possessorum.* An igitur ordinaria illa præstatio, de quâ citata Bulla inveniat, loco decimarum substituta fuit? Intuitu habitatorum vici, vel tringinta, vel viginti, vel decem fumaria habentis, quidem concessero, generaliter vero jure negavero. Alioquin enim omnes, qui vel vico rustico carebant, vel vico novem tantum, vel pauciora fumaria habente gaudebant, præstatione decimarum, atque alimentatione Clericorum immunes fuissent, totumque alendorum Clericorum onus tantummodo habitatoribus vici, tringinta, viginti, decemve fumaria habentis, incubuisse. Quis talia crederet, immo vel præsumeret? Ad hæc Imperator nil novi statuit, sed tantum confirmavit, quæ in veterum Actuariorum sigillis præscripta erant. Neque etiam, dum unum inclusit, alterum exclusisse dicendus est.

ANTITHESIS VI.

Amabo! Quis cum Dissertatore dissertabit (d): *Parum fuisset Legibus ecclesiasticis decimarum præstationem injunxit Fidelibus, nisi Regum Imperatorumque Francorum autoritate, editisque iteratæ constitutionibus illa fuisset suffulta.* Annon jam tam (e) à Ss. Patribus percepimus, ante finem seculi quarti, immò & tertii decimas Ecclesiarum datas fuisse? Annon simul percipimus, eosdem à jure divino, quo olim decime debebantur, exemplum sumere, & quasi dicere: *Quia decima populo Hebraico ad sustentationem Ministrorum inductæ sunt à summo DEO, qui est optima ordinationis optimus Artifex, Ecclesia pariter justè decimas, dummodo non exorbitantes, imperat, easque percipiendi potestate pollet.* Quippe cum Ministris DEI stipendia præbere non tantum naturalis, sed & divini Juris sit, teste Apostolo (f) docente: *Nescitis, quoniam qui in Sacrae operantur, que de Sacra sunt, edunt: & qui Altari deseruiunt, cum Altari participant?* Ita & Dominus ordinavit ius, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Annon ex Historiâ (g) novimus, decimas postmodum longavâ consuetudine per plura secula introductas, Legibusque ecclesiasticis sive Romanorum Pontificum, sive Conciliorum confirmatas, atque imperatas esse? An ergo adhuc Regum Francorum authoritas, atque iteratæ constitutiones desiderabantur? Annon ante

(c) L. 2. Cod. Theod. de extraordinariis.

(d) cit. Sect. I. §. 3. pag. 6.

(e) Antith. III.

(f) I. ad Corinth. IX. v. 13. & 14.

(g) Vid. SELDENUS Hist. of Tithes Cap. V. & seqq.

Reges, atque Imperatores istos jam tum JULIANUS (*b*) docuit: In veterata consuetudo pro Lege non immerita custoditur, & hoc est Jus, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsa Leges nullâ alia ex causâ nos teneant, quam quod iudicio populi recepta sunt: merito & ea, quis sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes: nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declarat, an rebus ipsis & factis. Annon ULPIANUS (*i*) docuit: Diuturna consuetudo pro Iure & Lege in his, qua non ex scripto descendunt, observari solet. Annon PAULUS (*k*) docuit: Imo magna auctoritatis hoc jus habetur: quod in tantum probatum est, ut non fuerit necesse scripto id comprehendere. Annos & ipsius CAROLUS Magnus (*l*) praecepit, ut longa consuetudo, qua ad utilitatem publicam non impedit, pro Lege servetur, & qua diu servata sunt, permaneat. Annon insuper Ecclesia, cui stipendia de Jure tam naturali, quam divino debebantur, Ss. Patres, atque in veterata consuetudinem, nec non mores per plura secula observatos sequi, ac Leges his consentaneas ferre, seu veterem Legem renovare poterat: (*m*) Recte proin COELESTINUS III. (*n*) non ad Francorum Reges, sed ad sanctos Patres provocat, qui in suis scripturis tradiderunt, de omnibus bonis decimas Ministris Ecclesiae tribuendas esse. Recte pariter INNOCENTIUS III. (*o*) ad Jus commune provocat, dum Archiepiscopo Larissenensi mandat, ut Latinos ad decimas Ecclesiae suis solvendas compellat. Quid quod & ipsa Capitularia Regum Francorum de partibus Saxonie (*p*) ad Jus divinum hinc provocant: Similiter secundum Dei mandatum precipimus, ut omnes deciman partem substantia & laboris sui, Ecclesis & Sacerdotibus dovent, tam Nobiles quam ingenui, similiter & liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddat. Eodem quoque modo Capitularia CAROLI Magni, & LUDOVICI Pii (*q*) loquuntur: Admonemus atque præcipimus, ut de-

(*b*) L. 32. §. 1. II. de LL.

(*i*) L. 33. eod.

(*k*) L. 36. eod.

(*l*) Legum Cap. CXLVIII. apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 1171.

(*m*) ESPEN Jur. Ecclesiast. Part. II. Tit. XXXIII. Cap. 1. num. 2.

(*n*) Cap. 22. X. de Decimis.

(*o*) Lib. I. Regest. III. Epist. 161. pag. 135. curante BOSQUETO, & Tom. II. pag. 486. curante BALUZIO.

(*p*) Cap. XVII. apud BALUZIUM Capitul. Regum Francorum Tom. I. pag. 183. Edit. Venet. MDCCCLXXII, & apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 581.

(*q*) Capitalar. Lib. V. Cap. 154. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 571. & apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 1443. Ap hisce conformiter non quodam assentationis, aut novitatis studio, sed solo veritatis amore, jatis-

cum Deo omnino dari non negligatur, quam Deus ipso sibi dari constituit: quia timendum est, ut quisquis Deo suum debitum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat necessaria sua, & qui decimam Deo dare neglexerit, novem partes auferantur ab eo.

ANTITHESIS VII.

Utile Constitutione CHLOTHARII Regis (r) cavitur: Agraria, pascuaria, vel decimas pororum, Ecclesia pro fidei nostra devotione concedimus, ita ut auctor aut decimator in rebus Ecclesie nullus accedat, Ecclesiae vel Clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui avi, vel genitoris, aut germani nostri immunitatem meruerunt.

An

jurisque dictamine impulsus Dissertator cit. §. 3. lit. c. pag. 7. ratiocinatur:
 » Ex spurio hoc fonte novum quasi decimorum systema antea incognitum propullolavit, postquam Pontifices lubrico huic principio paradoxas decisiones inadiscicarunt quam pluri mas. Hinc 1.) Decimas rebus adnumerarunt spiritualibus, quas sine sacrilegii criminе non possent laici possidere. GREGORIUS VII. in Can. 1. caus. 16. q. 7.— Cap. 15. & 25. de Decimis. Quas nec cuiquam concederē, nec aliquem ab his eximere valeret Imperialis potestas. Cap. 31. eod. Hinc statuerunt 2.) quod laici decimas nullā queant ratione prescribere. Cap. 7. de Prescript. Hinc 3.) solo in foro ecclesiastico decimorum causas valide dijudicari existimatunt. Cap. 15. de Decimis. Cap. 2. de Juramento. calumnia... Sed has errorum nebulas jam dudum dissipavit J. H. BOEHMER J. E. Prot. L. 3. Tit. 30. §. 35. add. PAULUS SARPIUS in Tractat. des Benefices §. 21. p. 105. Quis hodie ejusmodi decretis falso huic superstructis fundamento honor, quis effectus ab eruditiore seculo tribuatur, jam facile licet conjecturare. Recentiores Canonistae de imbecillitate hujus sententiae probè edocti cum Religioni sibi ducerent à superstitionis Majorum suorum vestigiis recedere, scholasticam finxere distinctionem inter decimas materialiter, & formaliter sumtas, ut saltim priores Juri divino possent adscribere. Sed hanc distinctionem meritò inutilem appellat Cl. DE RIEGGER P. III. §. 485. & miror sane, quod eandem tam anxiè secutus fuerit BARTHELIUS cit. Diff. §. 11. ac ducto etiam ab oblationibus argumento ne quidquam proficuo defendere studuerit Cl. ANT. SCHMIDT I. J. Eccles. P. II. §. 127.»
 (r) Cap. XI, apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 7. & apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 468. O quam fideliter itaque Dissertator solo veritatis amore impulsus regiam constitutionem ex BALUZIO retulit?

An ideo primus inter Francorum Reges exitit, qui Clero immunitatem à sol-
vendis decimis in rebus Ecclesiarum concessit? Annon ipsis Rex discretissime pro-
vocat ad immunitatem, quam avus, genitor, aut germanus ejus impetrati sunt.
Si etiam primus exitisset, quid inde? Sic etiam Capitularia Regum Francorum
(5) statuant: *Et hoc Christo propitiis placuit, ut undecumque census aliquid ad Fiscum*
pervenerit, sive in frido, sive in qualicunque banno, & in omni redibitione ad Regem per-
tinens, decima pars Ecclesias, & Sacerdotibus reddatur. Sic INNOCENTIUS III. (6)
de Marchione Brandenburgensi scribit: „Ex parte dilecti Filii nobilis viri Mat-
„chonis Brandenburgensis nostris est auribus intinatum, quod cum non mo-
„dica terrae pars ad Marchiam suam pertinens per suos & fratri ac patris avi-
„que sui labores de manibus eruta paganorum sterilis jaceat & inulta, ipsam
„ad cultum redigere ac de colonis fidelibus dispositu stabilire. Unde nobis
„humiliter supplicavit, ut, cum pro ampliatione divini cultus conventualem
„Ecclesiam desideret in terra ipsa construere, licentiam super hoc ei conce-
„dere dignaremur, & ipsam ab omni onere Pontificalis jurisdictionis exemptam
„in jus & proprietatem Sedis Apostolicae retinere. Ita profecto, quod duae
„partes decimarum ejusdem terre ad Marchionem ipsum & heredes ipsius pro
„Ecclesie fabrica, quam ipsi debent propriis sumptibus reparare, nec non
„etiam pro stipendiis militum devolvantur, sine quibus terra memorata non
„posset contra Slavorum impetum gubernari fidem Catholicam impugnan-
„tium vel ecclesiasticam unitatem, aut terram ipsam occupare volentium, pro
„eo quod patres eorum, cum essent pagani, per eundem Marchionem vel
„Progenitores ipsius ab eâ fuerunt potenter ejecti. Tertia vero pars integra
„persolvatur Ecclesiae construenda, quam idem Marchio competenter dota-
„bit, ut in eâ duodecim Canonici commodè possint cum suo Præposito de-
„servire, qui pro tempore canonice debeat præsentari per eum ac successores
„ipsius, & per solum Romanum Pontificem aut ejus mandato per alium con-
„firmari, ac denique confirmatus gerat administrationem temporalium, que
„poterunt administrari per ipsum in Ecclesiis construendis in terrâ prædictâ.
„Alia vero spiritualia, quæ officium Episcopale requirunt, idem Præpositus
„exigat, & obtineat à quoconque maluerit Episcopo Apostolicæ Sedis gratiam
„obtinente. In recompensatione autem decimarum illarum, quæ, sicut sur-
„periū est expressum, ad præfatum Marchionem & heredes ipsius pro Eccle-
„sie

(s) Cap. XVI. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 183, &c apud GEORGISCH
cit. loc. pag. 581.

(r) Lib. I. Regest. III. Epist. 21. fol. 23. curante BOSQUETO. & Tom. II. pag.
419. curante BALUZIO.

» sive fabrica & stipendiis militaribus devolventur, de singulis quinquaginta
 » mansis unam marciam puri argenti nobis & successoribus nostris facient idem
 » Marchio & successores ejus annuatim exolvit. Sic pariter OTAHERUS
 Marchio proavis Marchionis O. de Styre GEBHARDO Archiepiscopo Funda-
 tori Ecclesie Admuntensis, sive Monasterio Admuntensi (u) complares decimas
 suis exactionibus conquisitas dedit, quia gens Sclavonica in ejus Episcopi terminis posita ante
 ipsius tempora aut nullas, aut paucissimas reddere consuevit. Ex hisce omnibus quid
 vero eruendum? An ideo Clerus antea nullas alias decimas percepit? Ergo etiam
 Ecclesie quondam Fisco decimas pendere, sumulque suas percipere poterant?

ANTITHESIS VIII.

Plura à CAROLO M. de decimis statuta legimus. Statutum namque est: (x)

Ut unusquisque homo suam decimam donet, atque per iussionem Episcopi dispensetur. Statutum est (y): De villis novis & Ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decime de ipsis villis ad easdem Ecclesiis conferantur. Statutum est (z): Ut decime in potestate Episcopi sint, qualiter a Presbyteris dispensentur. Statutum est (a): Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesia, cuius res sunt, donent. Et qui tale beneficium habent, & ad medietatem laborant, ut de eorum portione proprio Presbytero decimas donent. Statutum est (b): De rebus vero Ecclesiarum, unde nunc censa ex-
 tent, decima & nona cum ipso censo solvantur. Et unde antea non exierunt, similiter
 nona & decimae dentur. De casatis vero sexaginta solidi quinque, de triginta solidi duo
 & dimidiis, de quindecim transmissi quatuor. Et precarie modo renovantur. Et ubi non
 sunt scripte, sicut descriptio inter conventores de verbo nostro. Num inde concluden-
 dum, CAROLUM M. decimas primum fecisse universales. Haud dicam iam;
 Concilium Turonense II. anno DLXVII. habitum, perhibere (c): Illud vero in-

ftan-

(u) CANISIUS in *Thesauro Monument.* Tom. III. Part. II. pag. 435. Edit. Amste-
 lodam. MDCCXXV.

(x) Leg. Cap. VII. apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 1135.

(y) Capitul. Lib. I. Cap. 87. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 486. & apud
 GEORGISCH cit. loc. pag. 1309.

(z) cit. Lib. I. Cap. 143. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 492. & apud
 GEORGISCH cit. loc. pag. 1321.

(a) cit. Lib. I. Cap. 157. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 493. & apud
 GEORGISCH cit. loc. pag. 1323.

(b) Capitul. Addit. IV. Cap. 132. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 623. & apud
 GEORGISCH cit. loc. pag. 1832.

(c) Apud HARDUINUM Concil. Tom. III. pag. 368.

stantissime communemus, ut Abrabie documenta sequentes decimas ex omni facultate non
pigeat DEO pro reliquis, quæ possidetis, conservandis offerre: ne sibi ipsi inopiam generet,
qui parva non tribuit, ut plura recontet, & quod dicendum est verius, suum persolvat
precium. Non dicam, Concilium Matisconense II. anno DLXXXV. perhibere:
(d) Leges divinae consulentes Sacerdotibus, ac Ministris Ecclesiarum pro hereditaria portio-
ne, omni populo præcooperunt, decimas fructuum sñorum locis sacris prestare: ut nullo la-
bore impediti, legitime spiritualibus possint vacare ministeriis. Quas Leges Christianorum
congeries longis temporibus custodivit intemeratas. Unde statuimus, atque decernimus,
ut mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas ecclesiasticis famularib[us] ceremoniis po-
pulus omnis inferat. Non dicam, Concilium Rothomagensis à Rothomago, vulgo
Rouen, quæ hodie est civitas Normannia Metropolis, sic dictum, & circa
annum DCL. habituna (e) perhibere (f): Omnes decima terra, sive de frugibus,
sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur boves & oves, & caprae, que
sub pastoris virginè transirent; quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino. Non
eligitur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur. Si quis mutaverit, & quod
mutatum est, pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Sed
quia modo multi inveniuntur, decima dare nolentes, statuimus, ut secundum Domini no-
strí præceptum admoneantur semel, & secundo, & tertio. Qui si non emendaverint,
anathematis vinculo feriantur, usque ad satisfactionem & emendationem congruam.
Non dicam, Concilium Foro Juliense anno DCCXCI. perhibere (g): „ De
decimis, vel primitiis, salvis scilicet allegoricarum rerum mysticis Sacramen-
tis, nihil melius puto docere, quam quod scriptum est in Malachiâ Prophetâ,
dicente Domino: Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus
in domo meâ, & probate me, super hoc dicit Dominus: Si non aperneto
vobis carafaæ cœli & effuderò vobis benedictionem usque ad abundantiam;
& increpabo pro vobis devorantem, & non corruptum fructum terræ vestræ:
nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum, & beatos vos
dicent omnes gentes. Sed quia indignatio, & ira Dei manet super gentem,
vel populum, qui hoc Domini præceptum toto corde, & bona voluntate
non adiuplet, supra præmisserat dicens: Si affliget, inquit, homo Deum,
quia vos configitis me? Et dixistis, in quo configimus te? In decimis, &
primitiis. In penuria vos maledicti etis, & me vos configitis gens tota.
„ Quâ

(d) Can. V. Conferatur ANTONIUS AUGUSTINUS Epit. Jur. Pontif. veter.
Lib. XV. Tit. 16. Cap. 13.

(e) BERARDUS de Gratian, Canon. Part. I. Cap. 38. pag. 395.

(f) Canff. XVI. Quesit. 7. Can. 5.

(g) Cap. XIV. Conferatur ANTONIUS AUGUSTINUS epit. Tit. 16. Cap. 15.

» Quâ de re, quis non alaeri, & læto pectore offerat Deo, ut possit illam pro-
 » mereri benedictionem, de quâ dicit: Effundam super vos benedictionem
 » meam usque ad abundantiam? Vel quis non timeat, vel contremiscat illam
 » maledictionem, quam minatur nolentibus offerre: Vos maledicti estis, &
 » me vos configitis gens tota? Et si fortè nobis non creditis, vel nos despici-
 » tis, quia homines sumus, credite ergo ipse Domino dicenti, qui mentiri non
 » potest, qui utrumque promisit, & maledictionem in hoc seculo, & in fu-
 » turo nolentibus obedire ejus mandatis; & benedictionem, & abundantiam,
 » & salutem animæ, & corporum bonâ voluntate obtemperantibus ejus impe-
 » riis, & in præsenti sæculo se daturum & in futuro., Sed quæram tantum:
 Cur LUDOVICUS Pius CAROLI M. filius addidit (h): De nonis quidem &
 decimis, unde & Genitor noster & Nos frequenter & in diversis placitis admonitionem se-
 cimus, & per Capitularia nostra qualiter hac obseruentur ordinavimus, volumus atque
 jubemus, ut de omni collaborato & de vino & fano fideliter & pleniter ab omnibus
 nona & decima persolvatur. De nutrimente vero pro decima, sicut hactenus consuetudo
 fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcorum fuerit, qui argentum pro hoc
 accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi, qui hoc persolvere debet,
 convenerit. Cur addidit: (i) Dicatum est Nobis, quod in quibusdam locis Episcopi &
 Comites ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, viadis accipient, & à Presby-
 teris pro quibusdam negligentiis, & inter se pecuniam dividant; quod penitus abolendum
 decrevimus, ne fortè avaritia locus detur. Et constituimus, ut incestuosi juxta canonicam
 sententiam paenitentia multentur. Qui vero decimas post creberrimas admonitiones &
 predicationes Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos con-
 stringi nolumus, propter periculum perjurii. Cur addidit: (k) Ut Ecclesia antiquius
 constitute nec decimis nec aliâ ullâ possessione priventur. Cur & LOTHARIUS I.
 addidit: (l) Ut terminum habeat unaqueque Ecclesia, de quibus villis decimam accipiat.
 Eodem ergo jure & hi Imperatores decimas universales fecisse dicendi sunt.

ANTI-

(h) Capitul. Lib. II. Cap. 21. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 500. & apud
 GEORGISCH cit. loc. pag. 1333.

(i) cit. Lib. II. Cap. 39. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 504. & apud GEOR-
 GISCH cit. loc. pag. 1342.

(k) cit. Lib. II. Cap. 47. apud BALUZIUM cit. Tom. I. pag. 506. & apud GEOR-
 GISCH cit. loc. pag. 1344.

(l) Leg. Cap. 91. apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1244.

A N T I T H E S I S IX.

Quo Dissertator non quodam assentationis aut novitatis studio, sed solo v-
ritatis amore, jurisque dictamine impulsus confirmet, necessitatem Eccles-
sis decimas solvendi subditis impositam, voluntati ac beneficio Principum tri-
buendam esse, attestatur (m) relatum à GRATIANO (n) divum AUGUSTI-
NUM, qui ait: „Quo jure defendis villas Ecclesia? Divino an humano? Di-
„vinum jus in Scripturis habemus, humanum jus in Legibus Regum. Unde
„quisque possidet, quod possidet? Nonne jure humano? Nam jure divino
„Dominii est terra & plenitudo ejus, pauperes & divites Deus de uno limo fecit,
„& pauperes & divites una terra supportat. Jure tamen humano dicitur: haec
„villa mea est, haec domus mea, hic servus meus est. Jura autem humana
„jura Imperatorum sunt: Quare? quia ipsa jura humana per Imperatores &
„Reges saeculi Deus distribuit generi humano. Tolle jura Imperatorum, &
„quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut dominus
„haec mea est? Si autem, ut teneantur ista ab hominibus, Regum jura fece-
„runt, vultis, ut reticeamus Leges, ut gaudeatis &c. Legantur Leges, ubi ma-
„nifestè præcepérunt Imperatores, eos, qui præter Ecclesiæ Catholicæ com-
„munionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pa-
„cis Auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Sed quid nobis &
„Imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur. Et tamen Apostolus
„voluit serviri Regibus, voluit honorari Reges, & dixit: Regem reveremini.
„Nolite dicere: Quid mihi & Regi? Quid tibi? Ergo & possessioni? Per jura
„Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? Noli dicere
„possessiones tuas, quia ipsa jura humana renunciasti, quibus possidentur pol-
„siones. An idem sanctus Pater, qui citato loco de Donatistis Hippone
„consistentibus videtur conqueri, quod sibi omnia prædia ecclesiastica arrogau-
„rent, ac vindicarent, de decimis pariformiter sentit? Audivimus eum jantum
„super, audiamus & rursus emarrantem: (o) „Præcidite ergo aliquid, & de-
„putate aliquid fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis questibus
„vestris. Nam quasi divino videris dare, & necesse est, ut trepider manus
„tua, quando illam porrigit ad id, quod non debueras. Exime aliquam par-
„tem reddituum tuorum. Decimas vis? Decimas exime, quanquam parum sit.
Di-

(m) cit. §. 3. pag. 8. lit. a.

(n) Distinct. VIII. Can. 1. qui depromptus est ex AUGUSTINI Tract. V. Cap. 1.
in Evang. Joannis. sive Operum omn. Tom. IX. pag. 20.

(o) in Psalm. CXLVI. sive Operum omn. Tom. VIII. pag. 612.

» Dictum est enim, quia Pharisæi decimas dabant, jejunio lis in Sabbato decimas
 » do omnium, que possideo. Et quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia restra
 » plus, quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabis in regnum cœlorum. Et ille
 » super quem debet abundare justitia tua, decimas dat, tu autem nec millesi
 » man das. Quomodo superabis eum, cui non æquaris.» Audiamus & per
 » orantem: (p) » Proprio Christo, Fratres charissimi, jam propè sunt dies, in
 » quibus messes colligere debeamus: & ideo gratias agentes Deo qui dedit,
 » de offerendis, imò reddendis decimis cogitemus. Deus enim, qui dignatus
 » est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine
 » dubio profuturam. Sic enim per Prophetam ipse promisit, dicens: *Insete,*
 » inquit, *omnem decimam in horreis meis, ut sit cibus in domo meâ, & probate me in*
 » *bis, dicit Dominus.* Si non aperuero vobis cataraëtas cœli, & dedero vobis fructum
 » usque in abundantiam. Ecce probavimus, quomodo nobis decima magis,
 » quam Deo proficient. O homines stulti, quid mali imperat Deus, ut non
 » mercatur audiri? Sic enim dicit: *Primitias area tue & torcularis tui non tardabis*
 » *offerre mihi.* Si tardius dare peccatum est, quanto pejus est, non dedisse?
 » Et iterum dicit: *Honora Dominum Deum tuum de tuis iussis laboribus, deliba ei de*
 » *fructibus justitiae tue, ut repleantur horrea tua frumento, vino quoque torcularia tua*
 » *redundabunt.* Non præstas hoc gratis, quod citò recipies magno cum fænore.
 » Quæris fortè: cui proficiat, quod Deus accipiat redditurus? Quæris iterum,
 » cui proficiat, quod pauperibus datur? Si credis, tibi proficit: si dubitas,
 » perdidisti. Decimæ, Fratres charissimi, tributa sunt egenitum animarum.
 » Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina Sacerdotibus. Quod si de
 » cimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola; quocunque
 » te pascit ingenium, Dei est, & inde decimas expetit, unde vivis: de mi
 » litia, de negotio & de artificio redde decimas. Aliud enim pro terra de
 » pendimus, aliud pro usurâ vitæ pensamus. Redde ergo homo, quia possi
 » des: redde, quia nasci meruisti: Sic enim dicit Dominus, *Dabunt singuli re*
 » *demptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi neque casus.* Ecce habes
 » in Scripturis sanctis cautiones Domini tui, per quas tibi promisit, quod de
 » cimas si dederis, non solùm abundantiam fructuum recipies, sed etiam sani
 » tatem corporis consequeris. Replebuntur (inquit) *area tue frumento, vino quo*
 » *que torcularia tua redundabunt, & non erunt in eis morbi neque casus.* Cum enim
 » decimas dando & terrena & cœlestia possis munera promereri, quare per
 » avaritiam duplici benedictione te fraudas? Audi ergo indevota mortalitas.
 » Nōsti, quia Dei sunt cuncta, quæ percipis; & de suo non accommodas re

(p) de tempore Serm. CCXVII. & CCXVIII. Domin. XII. Serm. I. sive Operum opus.
Tom. X. pag. 334. Conferatur Cauff. XVI. Quest. I. Can. 66.

rum omnium conditori? Non eget Dominus Deus, non præmium postulat,
 sed honorein, non de tuo aliquid exigit quod refundas. Primitias rerum
 & decimas dignatur petere, & negas avare! Quid faceres, si novem parti-
 bus sibi sumptis tibi decimam reliquisset? Quid certè jam factum est, cùm
 messis tua, pluviarum benedictione subtractâ, jejuna defecit, & vindemiam
 tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid avidè suppitas? No-
 vem tibi partes retraetæ sunt, quia decimam dare noluisti. - Constat quidem,
 quod ipse non dederis, sed tamen Deus exigit. Hæc enim est Domini ju-
 stissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam re-
 voceris: Scriptum est enim, *Hæc dicit Dominus, quia decima agri tui primitia*
terre roboscum sunt. Vidi autem, & fallere me existimasti, intus in thesauris
 vestris, & in dominibus vestris erit direptio. Dabis impio militi, quod non
 vis dare Sacerdoti. Convertimini quoque *ad me*, dicit Dominus omnipotens, *ut*
aperiam robis cataractas cœli, & effundam vobis benedictionem meam desuper, & non
corrumpan fructus terre vestre, neque langebit vitis in agro vestro, & beatos vos di-
cent omnes gentes. Benefacere semper Deus paratus est, sed hominum mali-
 tiā prohibetur: quia à Domino Deo sibi dari vult omnia, & non vult ei,
 quæ possidere videtur offerre. Forsan non assentationis, aut novitatis stu-
 dio impulsus Dissertator hæc nova nauseat? Ego contrà desidero, appeto, ar-
 que ardeo.

ANTITHESIS X.

Novimus seculo octavo, nono, & sequentibus opima prædia, villas, deci-
 mas, ac census à pluribus Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Comitibus,
 aliisque Dominis Germaniae in Episcopos, & Ecclesias esse translata. Ast qui
 probaturus erit Dissertator, (q) hancce liberalitatem mirificè promotam suisse à
 regnante tum temporis opinione: Peccata eleemosynis esse redimenda? Cur opinio-
 ni huic occasionem præbuuisse videtur illud DANIELIS: (r) *Quam ob rem Rex*
*consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas mis-
 ERICORDIUS pauperum: forsan ignorat delictis tuis.* Cur non illud PROVERBIO-
 RUM: (s) *Honora Dominum de tuâ substanciali, & de primitiis omnium frugum tuarum
 da ei. Et implebuntur horrea tuâ saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Cur
 non illud ECCLESIASTICI: (t) *Ignem ardenter extinguuit aqua, & eleemosyna re-
 ficit peccatis?* Cur non similiter illud ECCLESIASTICI: (u) *Congregationi pau-
 perum*

(q) cit. Sezt. I. §. 3.

(t) Cap. III. v. 33.

(r) Cap. IV. v. 24.

(u) Cap. IV. v. 7. & 8.

(s) Cap. III. v. 9. & 10.

perum affabilem té facito, & Presbytero humilia animam tuam, & Magnito humilia caput tuum. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine. Cur non illud LUCAE: (x) Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Sed ve vobis Pharisaïs, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis judicium, & charitatem Dei: hec autem oportuit facere, & illa non omittere. Qua porro persuasiones cruendæ ex MARCULFI formulis? quarum una (y) habet: „ Maximum Regni nostri augere credimus monumentum, si beneficia opportuna locis Ecclesiæ cleiarum, aut cui volueris dicere, benevolia deliberatione concedimus, ac Dominino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur noverit solertia vestra! nos ad petitionem Apostolico viro Domino illo illius urbis Episcopo talem pro aeterna retributione beneficium visi fuimus indulssisse, ut in villabus Ecclesia domus illius, quas moderno tempore aut nostro aut cuiuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus Judex publicus ad causas audiendo aut feda undique exigendum nullo unquam tempore non presumat ingredere; sed hoc ipse Pontifex, vel successores ejus propter nomen Domini, sub integræ emunitatis nomine valeant dominare. Statuentes ergo, ut neque vos, neque juniores, neque successores vestri, nec nulla publica judicaria potestas quoque tempore in villas ubicunque in Regno nostro ipsius Ecclesiæ aut regiâ aut privatorum largitate conlatas, aut qui inantea fuerint conlaturas, aut ad audiendum altercationes ingredere, aut feda de quaslibet causas exigere, nec mansiones aut paratas vel fidejussiores tollere non presumatis; sed quicquid exinde aut de ingenuis aut de servientibus ceterisque nationibus quæ sunt infra agros vel fines seu supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes Fiscus aut de feda aut undecunque potuerat sperare, ex nostrâ indulgentiâ pro futurâ salute in luminaribus ipsius Ecclesiæ per manum agentium eorum proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini & animæ nostræ remedium seu nostra subsequenti progenie plenâ devotione indulsimus, nec regalis sublimitas nec cuiuslibet Judicum sæva cupiditas refragare tenet. Et ut præsens authoritas tam præsentibus quam futuris temporibus inviolata Deo adjutore permaneat, manus nostræ subscriptionibus infra roborate de-

„ cre-

(x) Cap. XI. v. 41. & 42.

(y) Lib. I. Form. 3. apud BALUZIUM Capitular. Tom. II. pag. 256. Mirum cur non ipse BALUZIUS, sed Cl. SCHMIDT à Dissertatore sit allegatus. Forte ita placuit, ut occasio arriperetur, acrem simûl interpretationem SALVIANI MASSILIENSIS adferendi.

„ crevimus. „ Atque altera (z) sonat: „ Mundi terminum ruinis crebrescentibus ad propinquantem indicia certa manifestant, & experimenta liquida declarare noscuntur, & ad discutiendas torpentes infidelium mentes illa dum in Evangelii à Domino dicta oracula incumbere noscuntur. Ergo opera premium arbitror futurum vicissitudine præoccupans anticipare & incertum humane conditionis eventum sagaci mentis intuitu providere; quatenus ex hoc inflictis facinorum vulneribus, indulrâ pietate, remedia merear adipisci. Ergo ego in Dei nomine ille & conjux mea illa considerantes, quâ gravamur sarcinâ peccatorum, & reminiscentes bonitatem Dei dicentis: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De tñtâ igitur miseratione & pietate Domini confisi, idcirco per hanc epistolam donationis donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, atque de jure nostro in potestate & dominazione Monasterii illius in honore Sancti illius in pago illo constructi, ubi præstet venerabilis ille Abba, vel turma plurima Monachorum adunata, transmittimus atque transfundimus villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, domibus, adiunctis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratris, paucis, aquarumve decursibus, adjunctionis, adjacentiis, appendiciis, peculium utriusque sexus, mobilibus & immobilibus, sicut à nobis moderno tempore possidetur, vel si in antea ibi undecunque aliquid augmentare vel meliorare poterimus, ac præfato Monasterio in alimonias vel substantiis Monachorum ibidem habitantium Christo protegente proficiat; et scilicet ratione ut dum pariter advivimus, antedictas villas sub ullo beneficio tantummodo absque ullo prejudicio vel diminutione aliquâ ipsius Monasterii possideamus; nisi tantum si aliquem ex servientibus nostris a jugo scrutinis pro communi mercede relaxare voluerimus. Post obitum vero, quandoquidem Deus voluerit, nostrum absque illius Judicis vel heredum nostrorum expectata traditione cum omni re emeliorata, quicquid in suprascriptas villas in quibuslibet rebus vel corporibus augmentatum vel melioratum fuerit, de præsenti hoc pars antedicti Monasterii vel memoratus Abbas suique successores in Dei nomine perpetualiter recipient possidendum, tanquam si ad præsens absque usu nostro eorum fuisset subsecuta possessio; ita ut quicquid de prædictas villas propter opportunitatem ipsius Monasterii facere decreverint, liberum in omnibus potiantur arbitrium. Præsentem vero donationem, ne quiquam autem talium vilitate gestis municipalibus alligari curvans, & omnino decernimus, ne aliquando in eam ob hoc causam quisquam valeat reperire. Quod si aliquos instrumentis de ipsis villas de nomine nostrum in adversitate prædicti Monasterii quolibet ordine comprehensus,

,, aut

(z) Lib. II. Form. 3, apud BALUZIUM cit. Tom. II. pag. 276.

» aut anterius aut posterius prænotatos, quod nos nec fecimus nec facere ro-
 » gavimus, à quoquaque præter istum, quem firmissimum volumus esse, quo-
 » quo tempore ostensus fuerit, nullum sortiatur effectum, nisi vacuus & inanis
 » appareat; Autorem vero criminis vel falsarium nec inultum tunc temporis
 » patiatur judicaria abire potestas. Si quis vero, quod futurum esse non cre-
 » dimus, huic voluntati nostræ per quibuslibet adinventionibus aliquis de he-
 » redibus nostris, aut judicium seva cupiditas vel qualibet persona, obvius re-
 » petitor extiterit, à conventu omnium Christianorum vel limitibus Ecclesia-
 » rum extraneus habeatur, & Jude traditoris Domini nostri Jesu Christi per-
 » fruatur consortium, insuper etiam inferat partibus ipsius Monasterii vel Fra-
 » trum ibidem consistentium, sociato quoque tam in actibus quam in prose-
 » cutione sacratissimo Fī'co, ami libras tantas, argento pondo tanta, & ne sic
 » quoque quod reperit valeat vindicare, nihilominus præsens donatio, qua à
 » nobis pro timore Dei & amore pauperum Christi conscripta est, firma & in-
 » libata omni tempore debeat permanere, stipulatione subnixa. „ Quæ heic
 » persuasions reperienda, niti tam veteri, quam novo Testamento conformes?
 » Et quid heic de decimis reperiendum? Annon ergo Dissertator non assentatio-
 » nis, aut novitatis studio, sed solo veritatis amore ea eo fine consarcinavit, ut
 » cum Collega suo SCHMIDT (a) fideles cavillaretur, quod quasi anili super-
 » fitio-

(a) Hie namque in Geschichten der Deutschen Th. I. Buch II. Cap. 9.
 S. 324. ita garrit: Die Bischöfe brauchten auch damahls schon,
 nicht allein wegen gewisser Verbrechen, sondern auch zur Be-
 hauptung ihrer eigenen Rechte Güter und dergleichen die Excom-
 munication. Da aber an sich blos geistliche Straße bey einem
 rohen, und nur durch starke Eindrücke zu handigenden Völkern
 wenig fruchtete, so suchten sie durch das Ansehen der Königen
 auch Folgen in bürgerlichen und politischen Dingen mit derselben
 zu verknüpfen. Der König Childebert willfährte ihnen beson-
 ders hierinnen, und verordnete, daß derjenige, der seinen Bis-
 chof nicht hören, und darüber excommunicirt werden wird, nicht
 allein bei Gott auf ewig verdammt, sondern auch von dem kön-
 niglichen Palast gänzlich ausgeschlossen seyn, und noch darzu seine
 Güter verlieren solle. Die Könige sahen nicht, daß man mit
 der Zeit die Grundsätze auch auf sie anwenden würde, und spie-
 gen auf solche Art selbst den Pfeile, die ihre Nachfolger einstens
 treffen sollten. Eine andere Quelle des Ansehens der Bischöfe,
 die ebenfalls schon geöffnet war, sind die großen Reichthümer ge-
 we-

24.8.8.8.8.8.8.8.8.8.

stitione imbuti egerint in concedendis, seu reducendis ex vetere Testamento
decimis?

ANTI-

wesen. Die Könige und das Volk bestrebten sich um die Wette, sie und die Kirchen zu bereichern. Dieses erweckte damals um so weniger Neid und Aufsehen, da Kirchengüter und Armen- güter gleichbedeutende Worte waren. Ich sage gleichbedeutende Worte: denn in der Sache selber war freilich schon viel Aner- derung vorgegangen. Die Hauptbewegursache, die in den da- mahligen Stiftungsbriefen vorkommt, ist, die Erlösung der Seele (pro redemptione animæ) oder auch (pro remedio peccato- rum) zur Abtulung der Sünden. Diesem Gedanken, der überall anzutreffen ist, wußte man die verschiedensten Wendungen zu geben. Eigentlich aber, wie man aus dem Salvian von Na- silien sieht, liegt dabei der Text des Propheten Daniel Cap. 4.
24. zu Grunde: Peccata tua in misericordiis redime, löse deine Sünden durch Almosen. Eben dieser Salvian, der die Sache der Kirchen und Armen kurz vor dem Eintritt der Franken in Gallien in seinen vier Büchern gegen den Geiz auf eine manch- mal sehr übertriebene Art vertheidigt hat, macht in dem ersten Buch folgende Auslegung über den angeführten Text: Was will dieses sagen, etwas auslösen. Ich glaube, der Werth der Dinge, die gelöst werden, hingeben. -- So schäze dann die Sün- den, die du begangen hast, auf das genaueste. Sieh, was du schuldig bist für Lügen, Fluchen, und Meineid, was für deine Nachlässigkeiten, was für unreine Reden, und endlich für alle böse Begierden. -- Und wenn du alles wirst zusammen gerechnet haben, so erwege die Preise eines jeden. Ich will nicht haben, daß du alles, was du hast, Gott geben sollst, sondern gib nur das, was du schuldig bist, wenn du genau schätzen kannst, was du schuldig bist. Ipsi sancti SALVIANI verba sunt: „Noli tantum DEO relinquere quantum habes, si pro peccatis tuis necessarium non putas quantum habes. Estima diligentissime culpas quas admisisti, aestima peccatorum diversitates. Vide, quid pro mendacis debeat, quid pro maledicis atque perjuriis, quid pro negligentiis cogitationum, quid pro impuritate sermonum, quid pro omni de- nique male voluntatis affectu. Adde postrem etiam, si aliqua de his intra conscientiam tuam sunt, de quibus Apostolus dicit, adul- teria,

ANTITHESIS XI.

Quo jure Dissertator (b) defendit, à seculo octavo, & nono accessandam esse nobilissimam illam in Jure nostro Ecclesiastico Germanicæ decimatum divisionem, qua illæ in decimas origine tenuis merè laicæ, atque in alias ex origine sua ecclesiasticas dispescuntur? Utique LUDOVICUS GERMANICUS (c) anno DCCCLXXIII. statuit: „ Notum ergo volumus omnibus tam præsentis ævi, quam succendentium temporum Christi fidelibus, quia nova Corbeiae Monasterium iussu gloriæ Genitoris nostri constructum est in honorem sancti Stephani Protomartyris Christi, atque per voluntatem ejusdem Imperatoris corpore est B. Viti Martyris insignitum: Sed & ex integro ab omnibus publicæ exactionis officiis & expeditione hostili tam de litis, quam de ingenuis hominibus terram ejus incolentibus abolutionem promeruit, in quo & Nos comprehensum existimavimus, & hactenùs observatum comperimus, ut decimalē de dominicatis ejusdem Monasterii mansis non darentur Episcopis. Sed ad portam Monasterii darentur in eleemosinam præfati Genitoris nostri, & totius prosapia ejus, ut videlicet esset unde ministraretur peregrinis & hospitibus, qui nunquam desunt Monasterio; nunc vero exorta quæstione per quosdam Episcopos, utrum nam hoc eidem Monasterio Genitoris nostri nostroque præcepto concessum sit: quanquam, ut ipsi dicunt, nominatim non sit expressum, sub generali tamen confessione liberæ dispositionis rerum suarum etiam hoc comprehensum fatemur.. Sicut & seniori Corbeiae, ad cuius normam hæc nova instituta est, & præcipuis quibusque Monachorum Monasteriis Antecessores nostros concessisse comperimus, & ne deinceps hinc aliqua dubietas fiat, rogari venerabilis viri Adalgarii Abbatis ejusdem Monasterii per hoc nostræ potestatis præceptum decrevimus atque subemus, ut & omnia, quæ prius habuit, immunitatis præcepta rata & inconclusa,

,, ha-

„ teria, fornicationes, impudicitia, ebrietates, immunditia DEO exosa, avaritia idolatriæ famula, & post hæc aliqua forte crimina etiam de humani sanguinis effusione contracta. Cumque omnium suppurationis numerum, expende pretia singulorum. Et posthac non quaro, ut pro peccatis tuis totum DEO tradas quod habes; hoc solùm redde, quod debes, si potes astimare quod deberas..

(b) *Seit. II. §. 4.*
 (c) Apud SCHATEN. *Annal. Paderborn. Part. I. Lib. III. p. m. 177.* *D* *JUQIO.16. lega*

„ habentur, & per hanc conscriptionis nostræ cartam specialiter ei concessum
 „ sciatur, ut de dominicatis mansis vel nunc habitis, vel post acquirendis, à
 „ reddendis decimis plenam hoc Monasterium habeat immunitatem, nisi, sicut
 „ haec fuit, ut dentur ad portam Monasterii in susceptionem hospitum &
 „ peregrinorum. „ Similiter OTTO I. (d) anno DCCCCLVI. declaravit:
 „ Notum esse volumus omnibus Fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futu-
 „ ris, qualiter venerabilis WILLERUS cœnobitarum Sci Maximini Trevericæ
 „ civitatis suburbio requiescentis Abbas, interventu fidelium nostrorum, BRU-
 „ NONIS videlicet, germani nostri, atque Archiepiscopi; nec non HAIN-
 „ RICI & que germani nostri atque CVONRADI Ducis nostram regalem adie-
 „ rit munificantiam; conquerens, ab eis personis qui beneficia ex eadem te-
 „ nerent Abbatia; quoniam eidem Abbari, corundem Optimatum nostrorum
 „ interventu & consilio Ecclesiæ omnes Abbatiae illius ex beneficiis omnibus
 „ ad usus prædictorum Cœnobitarum reddidimus dominicales, quas vulgo
 „ salicas vocant *decimationes*, quoniam essent nostra regales, & nulli unquam
 „ termino Episcopali vel Ecclesiæ subjacentes, in suos usus redigisse, & ob id,
 „ hospitalitatem, quæ ab eisdem salicis decimationibus jam antea in eleemo-
 „ synam Prædecessorum nostrorum, Regum videlicet vel Imperatorum, No-
 „ stri quoque, præbelbatur hospitibus peregrinis & pauperibus, aut penitus
 „ destrui, aut, si hæc eadem eleemosyna, nostri ex his locis vel sumptibus,
 „ quos prædictis Cenobitis in usum præbendarium concessimus, amministra-
 „ retur, nullo modo sufficere monachicæ conversationi. Igitur consilio præ-
 „ nominatorum Optimatum nostrorum in eleemosynam Nostri, Conjugisque
 „ & Filiorum nostrorum præcedentium quoque vel subsequentium Regum vel
 „ Imperatorum, nostrâ regali auctoritate reddidimus prædicto venerabili Ab-
 „ bati WILLERO, Cœnobitisque, DEO, Scoque MAXIMINO in ejus pro-
 „ visione sub regulâ Sci BENEDICTI famulantibus, omnibusque in posterum
 „ eorum Successoribus cunctas Abbatiae Sci MAXIMINI dominicales, quas
 „ vulgo salicas decimationes vocant, in quocunque Regni nostri Episcopio,
 „ Parochia, termino sint sitæ, in usus hospitum peregrinorum & pauperum
 „ Destructorem Regni nostri, Successorumve nostrorum depurantes, quicun-
 „ que vel Imperatorum, vel Regum, vel qualiumcunque personarum, ob ali-
 „ cujs personæ machinationes vel infringere vel debilitare voluerit. „ Immo
 „ & PIUS II. (e) qui seculo decimo quinto regnauit, Albensi Abbari rescripsit:
 „ Vobis & præfato Monasterio vestro quascunque decimas tam Ecclesiasticas,
 „ quam laicales per viam emptionis, donationis, cessionis, permutationis,
 „ seu

(d) Apud GUDENUM Cod. Diplom. Tom. II. pag. 2.

(e) Apud BESOLDUM Docum. rediyy. Monasterii Wirtenberg. Tom. I. pag. 109.

» seu ex piis legatis, aut aliis justis modis adquirendi & adipiscendi, nec non
 » acquisitas & adeptas per vos retinendi & possidendi licentiam & auctorita-
 » tem eadem auctoritate concedimus per presentes. „ Num inde sequitur,
 ab his temporibus arcessendam esse nobilissimam illam divisionem? Annon re-
 ferente Apostolo (f) Levitae mandatum habebant decimas sumere a populo se-
 cundum Legem, id est, a fratribus suis? Annon teste SAMUELE (g) quo-
 que & Regis jus erat, segetes & vinearum redditus, & greges Israëlitarum ad-
 decimare? Annon & Judæi Demetrio Regi decimas & tributa, quæ ipsi de-
 bebantur, dare habebant? (h) A quies temporibus itaque repetenda est no-
 bilissima illa divisio? Insuper ubi termini illi: *Origine tenuis merè laicales & ex*
origine suâ ecclesiastica in Jure nostro Ecclesiastico occurunt? Forte in Corpore
 Juris Canonici, quod GIBERT concessit, vel in Corpore Juris publici, & Ec-
 clesiastici Germanie academico, quod RIEGGER suppeditavit? Aut forte
 iuuus, alterve novaturiens Scriptor jam cluebit ipsum Jus nostrum Ecclesiasticum?

ANTITHESIS XII.

Ecclesiasticas decimas non, ut Jure Canonico communi Parochis, sed Jure
 Germanico Episcopis competuisse legimus. Sic Capitularia Regum Fran-
 tum (i) statuunt: *De decimis, ut unusquisque suam decimam donet, atque per jussio-
 nem Pontificis dispensentur.* Similiter & CAROLUS M. (k) præcepit: *Ut deci-
 ma in potestate Episcopi sint, qualiter a Presbyteris dispensentur.* Nec non Capitularia
 (l) fanciunt, *Ut decima, quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum a
 Presbyteris ad usum Ecclesia & pauperum summâ diligentia dispensentur.* Hæc deinde
 & Concilia Germanicæ secuta sunt. Ac primò quidem Concilium Moguntinum
 anno DCCCXLVII. celebratum (m) habet: *Volumus, ut decima, quæ singulis
 dantur Ecclesiis, per consulta Episcoporum a Presbyteris ad usum Ecclesia & pauperum sum-
 mâ diligentia dispensentur.* Concilium Ticensis anno DCCCLV, habitum (n)

(f) Ad Hebr. VII. v. 5.

(g) I. 8. v. li. 15. & 17.

(h) I. Machab. ii. v. 35.

(i) Cap. VII. apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 543.

(k) Capitular. Lib. I. Cap. 143. apud BALUZIUM Tom. I. pag. 492. & apud
 GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 1321.

(l) Capitular. Addit. III. Cap. 82. apud BALUZIUM cit. pag. 585. & apud
 GEORGISCH cit. loc. pag. 1781.

(m) Capit. X. apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 156.

(n) Tit. III. Cap. 12. Conferatur Caus. XVI. Quest. I. Can. 56.

refert: In sacris Canonibus præfixum est, ut decima juxta Episcopi dispositionem distribuantur. Concilium Wormatiense anno DCCCLXVIII. congregatum (o) dispatuit, Ut decime in potestate Episcopi sint, qualiter à Presbyteris dispensentur. Et Synodus Augustana anno DCCCCLII. habita (p) jubet, Ut omnis decimatio in potestate Episcopi sit: & si negligebat fuerit, quidquid inde emendandum sit, coram Episcopo, eisive Missio, corrigitur. Hinc etiam cum quæstio orta esset de decimatione interiacentis provinciæ inter Ansem fluvium & Comagenum montem, Syroodus Lauræensis anno DCCCCLXXVI. congregata concordi responsione in unam hanc coivit sententiam: (q) Penitus videlicet, ac continuatim omnem decimationem infra prescriptos limites, Anesi fluvii scilicet, & Comageni montis, ante proximam barbaricam suæ Diœcesis devastationem, in ditione, & potestate predictæ sapientæ Pataviensis Ecclesie, sibique præsidentium Episcoporum, & fuisse & adhuc jure esse debere. Conformatiter ab HENRICO LEONE Bavariae & Saxonia Duce (r) anno MCLVIII. sancitum est: „ Postquam autem Sclavis ejectis terra decimalis facta fuerit, decima tota „ vacabit Episcopo, qui cum Domino fundi de dotibus ager Ecclesiærum pa- „ rochialium; scilicet ut quartuor mansus dotentur cum censu & decima, & sic „ per totum ordinabitur Episcopatum. Damus etiam Raceburgensi Episcopo „ & suis Successoribus, & liberè præstandas remittimus omnes Ecclesiæcum „ jure præscripto in terrâ But in Ecclesiam in Nusee, Ecclesiam sancti Georgii „ in Raceburg & Ecclesiæ adhuc in silvâ fundandas, & insuper omnes tam „ fundatas quam fundandas per totam Sadelbandiam & in Gamma & in silva „ nondum cultâ, Ecclesiæ & ejusdem Sadelbandiae & Gammae decimas, quas „ de gratiâ & permissione Episcopi sine fendo tenemus, liberas esse Episcopo, „ cum sibi placuerit, recognoscimus. „ Ac porto FRAGMENTUM Historia Slesvicensis. (s) refert: „ Circa annum 1186. Absolon Archiepiscopus Lunden- „ sis potestatem dedit Waldemaro Episcopo Sleswicensi decimas per Diœcesin „ suam colligendi, quasi in Dania ita decretum esset, idque Diplomate pro- „ mulgavit, annuncians scilicet pœnam excommunicationis non solventibus, „ solventibus autem pacem, in Utlandia, Toninga, Gardinga, & Holmo, „ aliisque locis maritimis occidentalibus decimas de frumento & pecudibus ex- „ igendas. Et hâc ratione decimiarum solvendarum consuetudinem de Rogis „ mandato invexit Absolon Archiepiscopus in Ducatum Sleswicensem cum ante „ id

(o) Can. LIX. apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 317.

(p) Cap. X. apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 623.

(q) Apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 658.

(r) Apud WESTPHALEN Monument. inedit. Tom. II. pag. 2032. & seq.

(s) Apud WESTPHALEN cit. l.c. Tom. III. pag. 278.

„ id tempus incole nanquam induci potuissent, ut decimarum solutionem con-
cedere, & isti quasi servituti se subjicere vellent. „ Interim an eodem jure
adhuc hodie utamur, infra videbimus.

ANTITHESIS XIII.

Quoad nonas mediâ viâ incedendum Dissertator (t) putat, ita, cùm ex ipsis Regum Francorum Capitularibus constet sufficienter, non unius generis has nonas fuisse, earum alia ad decimas merè laicales, ad ecclesiasticas alia sunt referenda. Quæso! Non quid? Exemplo GONZALEZ TELLEZ (u) respondet: *Quod ad nonas pertinet, certum est, eas persolvi, non ex quovis genere prediorum, sed ex iis tantum, que aliquis possideret ex beneficio ecclesiastico, ut hæc nempe nonarum prestatione solvens, feudatarum se, ac beneficiarum Ecclesie agnosceret.* Et quis aliter respondebit, nisi inscius, ignarus, rudisque? Disertè namque Capitularia Regum Francorum (x) perhibent: *Ut decimas & nonas sive census omnes generaliter donent, qui debitores sunt ex beneficiis & rebus Ecclesiarum, secundum priorem Capitularem Domini Regis.* Similiter CAROLUS M. (y) statuit, *Ut qui Ecclesiæ beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesie, cujus res sunt, donent. Et qui tale beneficium habent, & ad medietatem laborant, ut de eorum portione proprio Presbytero decimas donent.* Porro Leges Longobardicæ (z) habent, *Principius Comitibus, & omnibus Fidelibus nostris, ut, quicunque de rebus Ecclesiasticis beneficia habent, pleniter secundum morem regionis nonas, & decimas ad ipsas Ecclesias donent, absque ullâ diminutione, & dilatione, in quantum melius possunt, & juxta possibilitatem eorum, & quando necessitas exegerit, dent operas ad ipsas Ecclesias restaurandas, & adiutorium faciant.* Ac tandem Concilium Moguntinum (a) renuntiat: *Quicunque ecclesiasticum beneficium habent, ad recta Ecclesie restituenda, vel ipsas Ecclesias emendandas, omnino adjacent, & nonam & decimam reddant.* Cùm itaque heic de illis tantum agatur, qui bona Ecclesie jure beneficii, seu feudi tenent, qui mediâ incedendum erit viâ? Eum in finem Dissertatori quidem lubet, duplitem ad-
fere

(t) cit. Secl. II. §. 8.

(u) in Notis ad Cap. 1. &c. de Ecclesiis edifican. num. 2.

(x) Cap. XXIII. apud GEORGISCH Corp. Jur. German. pag. 592.

(y) Lib. I. Cap. 157. apud BALUZIUM Capitular. Tom. I. pag. 493. & apud GEORGISCH cit. loc. pag. 1323.

(z) Lib. III. Tit. 3. L. 2.

(a) Apud ANTONIUM AUGUSTINUM Collect. I. Lib. III. Tit. 35. Cap. 4. & Jur. Pontif. ret. Epitom. Lib. XV. Tit. 16. Cap. 23. Hinc canon à RAY-MUNDO Decretalium GREGORII IX. Collectore mutilatus est.

¶¶¶¶¶¶¶¶¶¶

ferre rationem. Prima est, quod nonnunquam Domini harum terrarum, de quibus decima debebatur Ecclesiae A., nonam de illis fructuum partem delegaverint alteri Ecclesiae B. Verum an ratio haec nititur his CAPITULARIS de anno DCCCXXIII. (b) verbis : *De nonis quidem & decimis, unde & Genitor noster, & Nos frequenter, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra, qualiter hec obseruentur, ordinavimus, volumus atque julemus, ut de omni labore & de vino & fano fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur.* Anve nititur sequenti LUDOVICI Pii (c) Constitutione? *De illo, qui agros dominicatos propter ea neglexit excolere, ut nonas & decimas exinde non persolvat, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipit, volumus, ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvatur. Et si quis contemptor aut Comitis, aut Missorum nostrorum propter hoc exsisterit, per sidejussores ad palatium venire compellatur.* Inde quidem sequitur, etiam decimas ex agris dominicatis solvendas esse. Ast dum LUDOVICUS Germanicus, ut supra (d) retulimus, perhibet, hactenus observatum esse, ut à novo Corbeiae Monasterio decimae de dominicatis mansis non darentur Episcopis; an ideo inferendum, decimas de dominicatis agris generaliter non esse demandandas? Hanc poriūs, ac rectius exceptionem, quam regulam dixero; siquidem prior Constitutio de decimis ex dominicatis agris dandis generaliter, & posterior tantum de dominicatis Corbeiae mansis loquitur. Perperam hinc Dissertator nonas mere laicales adstruit, maximè cùm LUDOVICI Germanici Diploma nequidem nonarum mentionem faciat. Insuper si quis dominicatos agros, aliave Ecclesiae bona, quæ illi à Rege, Duce, aliòve Domino liberaliter concessa fuerunt, jure feudi, seu beneficii tener, atque ex his & decimas, & nonas dare debet, amabo, quis illas nonas salutaverit mere laicales: Profecto tunc nonae longè justius renunciari possent mere laicales, de quibus Concilium Valentinum anno DCCCLV. sub LEONE Papa IV. celebratum (e) statuit: *De Fiscis & villis, quas constat dominio Ecclesie à Fidelibus olim snisse contraditas, & nunc potestati secularium subditas, voluntate eorum ordinari placuit, ut editis Principum iussum est, nona, & decima ipsi Ecclesiis, unde subtracte sunt, fideliter persolvantur.* Hi qui eas retinuerint, ut sacrilegos noverint se ab Ecclesia liminibus pellendos. Nunc ad alteram rationem, quæ ita sonat: *Domini prædia sua donabam Ecclesiis, quæ ex illis decimas percepabant: hinc cessabat in his decimarum solutio: sicuti & illa prædia, quæ jam*

(b) Cap. XXI. apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 32.

(c) Cap. X. apud HARTZHEIM cit. Tom. II. pag. 47.

(d) Antith. XI.

(e) Can. X. apud BINIUM Concil. Tom. III. Part. I. Sect. 2. p. m. 397. & apud ANTONIUM AUGUSTINUM Jur. Pontif. vet. Epit. cit. Tit. 16. Cap. 30.

jam primitus Ecclesie acquisita ad proprium ipsius usum extolebantur, nulla decima alteri Ecclesia erant obnoxia. Quid hæc sibi velit, me non capere lubenter fateor. An vel syllaba de nonis reperienda, anve inde eliciendum, dari nonas merè laicales? Qui tandem Assentator probat, Reges, communi ob defectum nervi publici necessitate impellente, militibus suis prædia ecclesiastica hâc lege in beneficium concessisse, ut ex iisdem decimæ & nonæ simùl Ecclesiis, quibus debebantur, à possessoribus persolverentur? Sanè nil de hisce somniis Capitularia CAROLI M., nil Capitularia LUDOVICI PII, nil Concilium Meldense, nil Concilium Arclatense, nil Concilium Moguntinum. O impulsus, quo nobilior à solo veritatis amore procedere nequit!

A N T I T H E S I S XIV.

Medius fidiis non scivissem, Dissertatorem esse THEOPHILUM, seu JUS-
TINIANI paraphrasten, nisi mihi dixisset (f) JUSTINIANUM alia de-
cimarum loco Clericis alimenta substituisse. Quænam ergo substituta sunt?
Cùm alimenta (sic cum STEPHANO (g) compenditacere licet) certo nu-
mero Clericorum deputata fuerint, eveniebat, ut acuto nimis numero Ecclesia
Constantinopolitana propter necessitatem erogationis alimentorum prædia Ec-
clesiae magnæ creditoribus in hypothecam vel pignus dare coacta, & sic are
alieno exhausta fuerit. Lâ de causâ JUSTINIANUS ad preces multorum sup-
plicum motus numerum excedentem Clericorum amputavit, antiquam quanti-
tatem restituit, ac sancivit, (h) „Non ultra sexaginta quidem Presbyteros in
„sanctissimâ majori Ecclesiâ esse, Diaconos autem masculos centum, & qua-
„draginta fœminas: Subdiaconos vero nonaginta, Lectores autem centum,
„& decem, Cantores viginti quinque, ita ut sit omnis numerus reverendiss.
„Clericorum sanctissimæ majoris Ecclesiæ in quadringentis viginti quinque:
„& insuper centum existentibus iis, qui vocantur Ostiarii.“ Siccine ergo
JUSTINIANUS alia decimarum loco Clericis alimenta substituit? Porrò CON-
STANTINUS primùm sumptus funerum publicos fecit, ut illi ab Ecclesiâ ma-
jore Constantinopolitanâ præberentur, quarum præstationum gratia dictæ Ec-
clesiae certas assignavit tabernas, ex quarum redditibus conficerentur, quæ ad
sepulturam spectant. Iecirco illas tabernas muneribus atque oneribus publicis
exemit, ne tributa, & vectigalia præstent. Omnes verò reliquias tabernas, quæ
funerum causâ Ecclesiæ destinatae non erant, sub onere munerum & contribui-
tio-

(f) cit. Seçt. II. §. 9. pag. 26. lit. a.

(g) in Comment. in Novell. III.

(h) Novell. III. Cap. I. §. 1.

tionum reliquit, licet ad Ecclesiam, vel alias domos pietati dedicatas pertineant. Iulio hec dein à JUSTINIANO (i) confirmata fuit, ita, ut mille & centum officia Decanorum, seu Lectoriorum gratia & ad exequias defunctorum definatae, sanctissima majori Ecclesie impollute & ab omni præstatione libera serventur, uti præter ipsam alius ullus Decanum ab hereticis, vel aliâ quâcunque sanctissimâ Ecclesiâ exigere possit. Comperiat nunc non quodam assertionis aut novitatis studio, sed solo veritatis amore, jurisque dictamine impulsus Discretor, quæ alia loco decimatum Clericis alimenta à JUSTINIANO fuerint substituta.

A N T I T H E S I S X V.

Utique OTTO M. item de decimis Episcopum Osnabrugensem inter, & Abbates Corbisensem, & Hervordensem agitatam definivit. Verum quo modo? En ipsa Imperatoris verba: (k) „OTTO divinâ favente clementia „Imperator Augustus. Noverit omnium industria Fidelium nostrorum, tam „præsentium, quam futurorum, qualiter vir venerabilis Luidolfus Osnebrug- „gensis Ecclesiae Episcopus, Nosterque fidelis ac consanguineus, necessitate „compulsus, de Saxonica terra Ravennam usque Serenitatis nostræ clementiam „adiu, querimoniam faciens, Ecclesiam suam decimis, unde jam à XII. an- „nis transactis Apostolicâ auctoritate & multorum nostri Regni Principum „consultu, & judicio definitimus, & Drogoni ejusdem Sedis Præstuli, nostra „libertatis, & immunitatis præceptum super hâc eadem re fieri præcepimus, „& dedimus, iterum à Corbejense Abbat, & Herifordense Abbatissa, suis- „que fautoribus temerariâ præsumptione deprædatam esse, & multos acceptis „inde beneficiis, nam nos de hâc vitâ decepsisse, apud illos diffamatum est, „in eorum adjutoriorum conjurâsse. Hoc vero non æquo animo ferentes, quo- „niam iter nostrum Romanam direximus, prædictum Episcopum nobiscum illuc „usque venire fecimus. Ibi vero hoc negoti, caterisque, pro quibus ve- „nimus, apud Patrem nostrum Joannem Apostolicum tractatis, ejus justu & „consilio mox litteris directis, Synodus Inglinheim congregandam, proximo „autumnali tempore, pro ecclesiastico honore stabiliendo in hâc re, cateris- „que quain plurimis continximus. Illuc præfatum Episcopum, subosque adver- „sarios, ante nos convocare præcepimus: Hinc vero Synodo intersuerunt „Ruodbertus Mogontiensis Archiepiscopus, & sui Suffraganei Othalricus Au- „güstenensis, Poppo Werciburgensis, Anno Wormatiensis, Erkambaldus Ar- „gentinensis, Otwinus Hildinesheimensis, Rehinoldus Rabulocensis, vel „Rubi-

(i) Novell. XLIII. cap. 1. vertente HOMBERGK ZU VACH.

(k) Apud HARTZHEIM Concil. German. Tom. II. pag. 655.

„ Rubilocensis: Gero Coloniensis Archiepiscopus cum suis Suffraganeis, Nor-
 „ kero Luoduense, Liudolfo Osnabrugense, Buodone Minigardesordense:
 „ Thidricus Treverensis Archiepiscopus, & sui Suffraganei Theodricus Meten-
 sis, Virgfrithus Viurdimensis, Gerardus Tolensis: Freduricus Juvanensis
 „ Archiepiscopus, Athaldagus Hammaburgensis Archiepiscopus, Athalbertus
 „ Magdaburgensis Archiepiscopus cum suis Suffraganeis, Fokkone Missense,
 „ Gitilario Merseburgense, multique alii nostri Principes, Dukes, Comites,
 „ Clerici, & Laici, quorum nomina & numerus comprehendendi non possunt.
 „ His vero Nobiscum in Synodo confidencibus, Episcopas & seu adversarii
 „ in medio constabant, ibi utrumque sententis auditis, & subtiliter dijudica-
 „ tis, decimas Episcopo canonica auctoritate reddi debere omnes affirma-
 „ bant. „

A N T I T H E S I S XVI.

Quid? num HENRICUS IV. controversiam de decimis Thuringicis Mo-
 guntinum Archiepiscopum inter, & Abbatem Herveldensem dudum ven-
 tilatam proposita quadam partitione decimalium finivit? Refertne ita LAM-
 BERTUS SCHAFNABURGENSIS? Annon potius (*l*) refert: „Diu igitur
 „ habitâ deliberatione, in hanc tandem pactionem, mediante Rege, Abbas
 „ & Archiepiscopus consenserant, ut Abbas, in decem suis decimalibus Eccle-
 „ sis, duas partes decimalium, tertiam Archiepiscopus acciperet: in reliquis
 „ vero ejus Ecclesis, dimidia Abbat, dimidia Archiepiscopo contingere:
 „ ubi vero Ecclesia decimalis propria Archiepiscopi esset, tota illuc ei decima
 „ cederet: præterea ut omnes dominicales Archiepiscopi curtes, in quacum-
 „ que essent Parochia, ab omni peniùs decimalium exactione immunes man-
 „ tent. „ Annon ergo manifestè apparet, Dissertatorem non quodam assenta-
 tionis, aut novitatis studio, sed solo veritatis amore impulsum esse?

A N T I T H E S I S XVII.

Lubricum à lubrico Dissertatore (*m*) renunciatur fundamentum, quod causâ
 „ decimales causis beneficialibus equiparentur, atque usque ad eos spirituali-
 bus adnumerentur. Ecce fundamentum lubricum? A quibus locatum? Non
 ne à summis Pontificibus, atque Ecclesia Præsulibus? Destituchanturne hi eâ
 po-

(*l*) Apud PISTORIUM Rer. German. Scriptor. Tom. I. pag. 354. curante STRU-
 VIO.

(*m*) cit. §. 9. pag. 27. lit. a.

potestate? At poterant (n) spiritualibus caussis caussas Juris patronatus ita jungenere, & connectere, ut non nisi ecclesiastico judicio definiri valeant. Cur ergo non æque caussas decimales? An heic eorum manus erant abbreviatæ? Quā de caussâ? Forte quia, ut Dissertator à RIEGGERO (o) mutuatur, rerum temporalium naturam non amittunt, licet ad usum pium, & ecclesiasticum destinantur: Ast num ædes, seu, paraphraste THEOPHILO, (p) Ecclesia basilicae Martyrum, oratoria, dona, vestimenta ecclesiastica, vasa & similia, que ritè ad ministerium DEI dedicata sunt, rerum temporalium naturam amittunt? Nihilominus instituente JUSTINIANO (q) nostro, hæ res divini juris, ac nullius in bonis sunt, quia commentatore JANO A COSTA (r) consecratio ne desinunt esse in commercio hominum, & nullius fieri posunt. Etenim teste ULIPIANO (s) res sacra non recipit estimationem. Num locus, in quem quis mortuum infert, naturam suam amittit? Numve cadaver hominis mortui religiosum est? Nihilominus iterum instituente JUSTINIANO (t) talis locus religiosus est, divini juris est, nullius in bonis est, quia teste eodem ULIPIANO (u) religionis interest, monumenta exstrui, & exornari. Num Nihilominus rufus instituente JUSTINIANO (x) res sanctæ sunt, quodammodo divini juris sunt, & ideo nullius in bonis sunt. Sic etiam adnotante GONZALEZ TELLEZ (y) Iu• patronatus quomodounque consideretur, temporale est, si enim dorationem, aut Ecclesiæ constructionem attendamus, ipsæ temporales res sunt; si jus ipsum, quod patronus consequitur, videlicet jus honoris in processione, alimentorum & præsentandi, etiam temporalia esse quis ambigit? Nihilominus caussis spiritualibus adjungitur, & connectitur, non ratione dependentiae à spiritualitate, hoc enim calu spiritualitas influeret in ipsum patronatum, sed ratione præparationis, atque ordinatiois ad spiritualia. Ius decimandi proinde caussis spiritualibus non lubricè, sed solide ad-

(n) Cap. 3. ¶. de Judiciis.

(o) Institut. Jurisprud. Ecclef. Part. III. §. 535. pag. 389.

(p) in Paraphras. ad Inst. Lib. II. Tit. 1. §. 8.

(q) Institut. Lib. II. Tit. 1. §. 7. ¶ 8.

(r) in Commentat. in Inst. Lib. II. Cap. 1. §. 7.

(s) L. 9. §. 11. de divisione rer.

(t) Institut. Lib. II. Tit. 1. §. 9.

(u) L. 1. §. 6. 11. de mortuo infer.

(x) Institut. Lib. II. Tit. 1. §. 10

(y) in Commentat. in Cap. 3. ¶. de Judiciis. num. 5. ¶ 8.

numeratum persentiscimus, quippe cum decimæ, nimisrum ecclesiastice in sufficiendos sive alendos DEI Ministros ordinatae sint.

ANTITHESIS XVIII.

Si in judicio possessorio Clericus contra laicum, vel laicus contra laicum agat, aut quando quæstio merè facti sit, tunc laicum in causâ decimarum judicem esse posse, non tantum recentiorum plerique (ut Dissertator (z) jactat) sed & veterum plures docuerunt, qui à BARBOSA (a), GONZALEZ TELLEZ (b) & LEURENIO (c) recensentur.

ANTITHESIS XIX.

Utrique GONZALEZ TELLEZ (d) refert, plures Romanos Præsules concessisse tertias Catholicis Regibus, qui proprio sanguine, & maximis sumptibus Ecclesiæ à Saracenis occupatas recuperarunt. Similiter VAN ESPEN (e) refert, quod ARNULPHUS Magnus Flandriæ Comes Ecclesiæ S. DONATIANI Brugis de Episcoporum Tornacensis, & Moricensis ordinatione, & consilio quasdam donavit decimas, quas ipsi & Prædecessoribus ejus in Comitatu, seu Marchionatu Flandriæ, de terris cultis & in cultis sanctissimi Patres Papæ Romani, pro adjutorio expensarum nostrarum, & nostrorum militum, pro expugnatione ac resistentiâ contra Wandalos, qui Flandriam & alias terras vicinas, cum Ecclesiæ in ipsis constructis crudeliter & damnabiliter devabant, & incendio tradebant, in feudum perpetuum concesserunt. Ex his quis cum Dissertatore (f) certissimum conficiet argumentum, quod & ipsi Pontifices agnoverint, jus decimandi non esse jus spirituale, cuius laicos putent esse incapaces? Quodnam argumenti genus? Annon & laici primum post pluræ secula Juris patronatus capaces sunt redditii? Num ideo certissimum est argumentum, quod sumini Pontifices agnoverint, caussas Juris patronatus causis spiritualibus, atque ecclesiasticis non esse connexas? En Dissertatorem non assen-

E 2

(z) cit. lit. a.

(a) in Collectan. in Cap. 25. num. 2. &c. de Decimis.

(b) in Not. in Cap. 13. lit. d. &c. de Decimis.

(c) in Foro benef. Part. I. Seçt. III. Cap. 2. Quest. 497.

(d) in Comment. in Cap. 19. num. 4. &c. de Decimis.

(e) Jur. Ecclesiast. Part. II. Tit. XXXIII. Cap. 4. num. 14.

(f) cit. Seçt. II. §. 10. pag. 28. lit. e.

tationis, aut novitatis studio, sed solo veritatis amore, jurisque dictamine impulsum.

ANTITHESIS XX.

Canonii, quem GRATIANUS (g) ex Capitulis CAROLI & LUDOVICI refert, additum legimus: „In Capitulis autem manuscriptis, quæ ab Episcopis Provinciarum Rhemensis ac Rhotomagensis Ludovico Regi missa fuerunt, hæc habentur ad hunc locum pertinentia: Quia vero Carolus Princeps, Pipini Regis Pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes, res Ecclesiastum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianensis Episcopus, qui in Monasterio S. Trudonis requiescit, in oratione positus, ad alterum seculum rapens, & inter cætera, quæ Domino sibi ostendente conspexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus ductore respondit: quia Sanctorum iudicacione, qui in futuro iudicio cum Domino iudicabunt, quorūcumque res abstulit & divisit, ante illud iudicium anima & corpore sempiternis poenis deputatus est, & recepit simul cum peccatis suis poenas propter peccata omnium, qui res suas, & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus divini cultus & almoniis servorum Christi, ac panperuna, pro animarum suarum redemptrione tradiderant.„ Fabula sit hæc, ut pariter ESPEN (h) cum BARONIO sentit. Verum quid decimis, & præsertim novalibus cum illâ fabulâ? Aut forte de decimis & quidem novalibus agunt, qui judge Dissertatore (i) atro nimis calamio Regum Francorum in diripiendis Ecclesiastum bonis, & redditibus licentiam traducunt? Cui bono ergo talia sunt adducta? Ex solo veritatis amore, jusque dictamine.

ANTITHESIS XXI.

Communem, atque à divo THOMA approbatam Decretalistarum distinctionem inter Dominium vel *Jus decimandi directum* penes Ecclesias semper redditum, & earenis inabdicabile; atque inter solum *jus utile*, sive commoditatem percipiendi fructus in laicos translatum Dissertator (k) quidem ut fictitiam rejicit, quippe quæ spacio innitur fundamento, quod *jus decimandi* sit spiritu-

(g) *Cauff. XVI. Quest. I. Can. 59. num. 2.*

(h) *Oper. omn. Part. V. pag. 215. Edit. Venet. MDCCLXIX.*

(i) *cit. §. 10. pag. 29. lit. a.*

(k) *cit. §. 10. pag. 31. lit. b.*

spirituale. Contrā verò largitur, decimas ex eo, quod̄ alios possessores nacte
sunt, primigeniam, ac connatam quasi hanc qualitatem non amisisse; adeoque
si aliquando has decimas iterum ad Ecclesiam reverti contingat, pristinam illam
qualitatem reviviscere, quam pristina tam jura, quam onera veluti pedissimae
sequuntur. Ast quomodo fiet illud, quoniam caussam non cognosco? An er-
go effectus erit sine caussa? Ast: quis unquam ita philosophatus est? Quænam
ergo caussa assignabitur? An vetus illud jus postliminii, quod (ut JUSTI-
NIANUS (1) nos dudum docuit) fingit eum, qui captus est, semper in civitate
fuisse. Si vero ibi decesserit, exinde, ex quo captus est pater, filius sui juris fuisse vide-
tur. Ipse quoque filius, neposre, si ab hostibus captus fuerit; similiter dicimus, propter
jus postliminii jus quoque potestatis parentis in suspenso esse? Non solum autem jus
postliminii, sed & plura alia, quæ sublimis NOODT (m) notat, finxere,
adeo ut TULLIUS (n) subridens usque adeo dicat, scientiam juris totam pro-
pè rebus fictis, commentitiisque constare. Ex hisce itaque iuribus, & pro-
bante VAN ESPEN (o) potissimum ex declaratione LUDOVICI sancti Re-
gis Galliae Decretalistarum distinctionem derivatam, moribusque receptam, ac
firmatam longè rectius dixerimus.

A N T I T H E S I S XXII.

Di boni! Quas, quorūmque locorum consuetudines de reparacione Ecclesiæ,
atque onere decimatorum laicorum referentes Pax religiosa & Westphalica
(ut Dissertator (p) dicit) pro normâ adoptarunt? Pax religiosa (q) statuit:
Als auch der Ständen der a. ten Religion verwandt, alle ihre zuständige
Renth, Zinns, Gült- und Zehnden, wie oblaut, folgen sollen, so soll
doch einem jeden Stand, unter den die Renth, Zins, Güte, Zehnden,
oder Güter gelegen, an denselbigen Güteren, seine weltliche Obrigkeit,
Recht und Gerechtigkeit, so er vor Anfang dieses Streits in der Religion
baran gehabt, und in Branch gewesen, vorbehalten, und dadurch den-
selbigen nichts benommen seyn, und sollen dannoch von solchen obgenan-
ten Güteren, die nothdürftige Ministeria der Kirchen, Pfarren, und
Schulen, auch die Allmosen und Hospitalia, die sie vormals bestellt, und

ju

(1) §. V. Instit. Quibus modis jus patr.

(m) Probabilium Lib. III. Cap. 12.

(n) Pro Murrana.

(o) Jur. Ecclesiast. Part. II. Tit. XXXIII. Cap. 4. num. 42. & seqq.

(p) cit. Selt. II. §. 11. pag. 35. lit. b.

(q) §. XXI.

zu bestellen schuldig von solchen obgemeldten Güteren, wie solche Ministeria der Kirchen und Schulen vormahls bestellt, auch nachmals bestellt und versehen werden, ungeacht was Religion die seyen. Westphalica (r) ita sequitur: *Batione redditum cuiuscunq; generis ad bona ecclesiastica, eorumque possessores pertinentior ante omnis observetur id, quod in Pace Religionis §. Dagegen* sollen die Stände der Augspurgischen Confession re. & §. Alsdann auch den Ständen der alten Religion re. dispositum invenitur. Quid heic de reparatione Ecclesie, de onere decimotorum laicorum, de consuetudinibus locorum offenditur? Quām insanabile igitur scribendi cacoethes tenet Archidissertatorem!

ANTITHESIS XXIII.

Si titulo oneroso ab Ecclesiā feudum decimatum obtinuerint laici, tunc decimatores ad reparationem Ecclesie, & similia onera non adstringendos esse Dissertator (s) credit, quoniam mens contrahentium non fuisse videtur, dupli oneri & servitorum feudalium, & reparandæ Ecclesiae hujusmodi in casu se subjecere. Ego totum contrarium eò justius credidero, quò notius est, rem transire cum suo onere etiam in particularem successorem, quando nimirum onus reale est; quippe cùm tale onus tanquam qualitas prædium ipsum afficiat, ac proinde prædium sequatur, in quemcunque possessorem illud transeat. (t) Erenim teste POMPONIO (u) alienatio cùm sit, cum suā causā dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset. Hinc teste PAULO (x) cùm fundus fundo servit, vendito quoque fundo servitores sequuntur. Aedificia quoque fundis, & fundi aedificiis eadē conditione serviunt. Hinc & teste eodem PAULO (y) si fundus serviens, vel is, cui servitus debetur, publicaretur, utroque casu durant servitores, quia cum suā conditione quisque fundus publicaretur. Jure igitur ter Optimo Maximo concludere licet, & decimas in feudum datas cum suo onere in quemicunque transire possessorem. Fortè quis cum INNOCENTIO III. (z) dicet: Decimatum præmium ad alienantem pervenisse. Ast si fundus qui servit, venditur, anno pre-

(r) J. P. O. Art. V. §. 45.

(s) Cfr. Secl. II. §. 11. pag. 37.

(t) L. 36. II. de S. P. R. & L. 13. II. Commun. prædior.

(u) L. 67. II. de contrah. empt.

(x) L. 12. II. Commun. prædior.

(y) L. 23. §. 2. II. de S. P. R.

(z) Lib. IV. Regist. XVI. Epist. 9. fol. 529. curante BOSQUETO,

Primum ad venditorem pervenit? Si fundus serviens publicatur, annon primum ad Dominum, seu creditores pervenit? Si fundus venditur, annon, iubente CONSTANTINO, (a) necesse est, cum, qui comparavit, censum rei comparatae agnoscere, seu tributum solvere, licet pretium ad alienantem pervenerit? Fortè quis cum laudato INNOCENTIO id concedet casu, quo venditor tam modico, sive minore pretio vult esse contentus? Ast si illud nominatum constitutum non fuerit, annon secundum regulam respondendum, alienationem cum suâ caussâ, sive onere factam esse?

ANTITHESIS XXIV.

Explicit, ut ita (b) loquar, nunc primum Dissertationis caput. Quæ interim theoremeta de Decimis novalibus percepimus ex Dissertatione, quæ hâc superbit epigraphe: *De eo, quod circa Decimas novales, in Germaniâ, ac præcipue in Diœcesi, & territorio Coloniensi justum est.* Fortè Caput primum tantummodo prolegomena continet, decimarumque originem docet? Fortè hæ columnæ sunt, quibus totum superponitur ædificium? Ubi
DEUS ampliora nobis otia fecerit,
VIDEBIMUS.

(a) L. 2. Cod. Sine censu & reliq.

(b) VALLA de Elegant. ling. Latin. Lib. III. Cap. 41. cum pluribus aliis de Latinitate hujus vocis dubitat.



